CVRSVS PHILOSOPHICVS

SIVE

VNIVERSAE PHILOSOPHIAE INSTITVTIONES

STVDIOSAE IVVENTVTI SCIENTIFICA METHODO PROPOSITAE

AVCTORE

IOSEPHO CAPOCASALE

In Regia Neapolitana Studiorum Universitate Logicae & Metaphysicae Professore,

Academico Augusto, Intrepido, Philopono, Regiaeque Academiae Florentinae Membro.

TOMI SECVNDI

PARS ALTERA,

EXHIBENS

PNEVMATOLOGIAM

EDITIO QUARTA.

NEAPOLI MDCCC

TYPIS CAJETANI RAYMVNDI

Superiorum permissu.

Nosce te ipsum. THALES Miles. apud Laert. Lib. I. cap. 1. n. 13.

Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. IOANN. XVII. 3.

Osez confesser Dieu chez les philosophes: Vous serez seul de votre parti, peut-être: mais vous porterez en vous même un temoignage qui vous dispensera de ceux des hommes. Qu'ils vous aiment ou vous haissent, qu'ils lisent ou méprisent vos écrits, il n'importe. Dites ce qui est vrai, faites ce qui est bien; ce qui emporte à l'homme est de remplir ses devoirs sur la terre, & c'est en s'oubliant qu'on travaille pour soi. ROUSSEAU Emile Tom. III. pag. 168.

METAPHYSICAE

PARS TERTIA

PSYCHOLOGIA

PROTHEORIA.

219. QVandoquidem Ens supremum in creatione mundi gloriam suam manifestare voluit (§. 184.) : eum entia quoque intelligentia, quibus infinitae suae perfectiones patefierent, creare decuit, quae ideo nobilem totius systematis partem efformarent, quorumque nutui omnia inferiora en ia subiicerentur. Id vero in hominis creatione confecit, cui animam ratione praeditam in corpore tam affabre structo habitantem, perfectionumque illarum, pro entis finiti capacitate, participem benigne concessit, ut adeo *caput operis* Factoris sui eum classici Philosophi nuncupaverint.

220. Magnum igitur hocce Creatoris opus ad eiusdem imaginem, et similitudinem factum *, ratione, velut supremo ac sapienti duce, utitur, cuius ope caussas rerum, fines, relationes, et intima quaeque perspicit, praeteritorum memor, praesentium conscius, futurorum etiam prudens provisor, ad exsistentiae suae Aucto-

rem propius accedit, cum quo Religionis vinculo arcte connexus eius perfectiones agnoscit, amorem ipsi, obedientiam, cultum praebet, auxilium implorat, eumque, ut omnium suarum appetitionum centrum, felicitatisque obiectum, ultimò possidere optat, et laborat.

* Qua ratione dicatur homo ad Dei similitudinem factus, quamque non immerito Creatoris sui imaginem praeseferat, non aptus est hic disserendi locus. Id ipsum Theologi apertò demonstrant, nosque alibi, modo vita viresque sinant, clarissimis rationibus ad evidentiam usque proferemus. Liceat interim propositionem hanc, ut exploratam, habere: praecipue quum inter Christianos institutiones nostrae versari debeant, quibus id Sacrarum Scripturarum testimonio comprobatum tam certum est, quam quod certissimum.

221. Ratio porro illa ex communi omnium hominum, vel rudiorum, consensione in anima, nempe in substantia cogitante, sita est, quae supremam corporis partem pro sede habens, illinc omnes rerum externarum per sensus obvenientium notitias accipit, nervorumque ministerio quascumque mutationes in corpore, motusque producit: unde *sensus* et *motus* in homine oriuntur *.

* Quonam autem modo id eveniat, infra, quum de structura hominis, animae humanae facultatibus, eiusque arctissimo cum corpore commercio agetur, abunde patebit: Cetera Physiologis disquirenda relinquimus.

222. Scientia, quae animae humanae natu-

turam, et proprietates investigat, PSYCHOLOGIA vocatur: quae quum Metaphysicae pars sit (§. 5.), adeoque scientifica methodo pertractanda (§. 3.), ad demonstrandas enunciationes suas rectam rationem in subsidium vocat (§. 6. *Log.*), nec experientiam ullo modo respuit *: ut solidis certisque munita principiis, ex his veritates omnes legitimo nexu deducat.

* Ea de caussa Wolfius, eiusque asseclae Psychologiam duplici modo tractarunt: primum quidem experientiae, deinde rationis ope, quarum primam EMPYRICAM, hanc RATIONALEM appellarunt.

223. De huius disciplinae utilitate tam multa Philosophi scripserunt, ut nobis tacendum satius, quam loquendum, arbitremur. Vt nosmetipsos noscamus, vetus hortatur adagium. Vt debitum animae nostrae tribuamus honorem; Sapientia praecipit (*Eccles.* *X.* 31.): id quod fieri non posset, nisi eius nobilitatem agnosceremus. Dei tandem O. M. nullam haberemus notitiam, nisi spiritus, licet creati, naturam investigaremus, unde gradatim ad purissimi illius spiritus cognitionem facile possit perveniri *.

* Praeterea quum Deus per res a se creatas agnoscatur, *Rom. I.* 20., harum vero nobilissimus sit spiritus, Bonnet *Contempl. de la Natur. Part. IV. chap. 6.*, liquet, scientiam hanc ad supremi eius Opificis cognitionem recto tramite perducere.

224. Eam vero in tradenda Psycholo-

gia methodum adoptabimus, ut primum de homine, eiusque partibus essentialibus; deinde speciatim de anima humana, eiusque actionibus, adfectibus, proprietatibus, ac cum corpore commercio; tum de natura et origine idearum; tandem de brutorum etiam animabus maiori, qua fieri poterit, brevitate, ac distinctione agamus.

CAPVT PRIMVM

De Homine.

225. HOMO est *animal ratione praeditum* *: unde ENS RATIONALE a recentioribus appellatur. Sui enim, rerumque extra se positarum est conscius, earum per sensus ideas singulares adquirit, e quibus abstrahendi artificio universales eruit, ideas iam adquisitas confert, atque ex iis cum aliqua tertia comparatis ratiocinia conficit: deinde quidquid tamquam bonum sibi repraesentat, adpetit, quod malum, aversatur; ac pro lubitu ad eligendum quod sibi magis arridet, libere determinatur. Seipsum praeterea movet, motusque suos ad libitum regit. Vno verbo experientia teste, homo cogitat, vult, seque sponte movet. Quale sit huiusmodi actionum principium, in disquisitionem ponamus, ut inde clarius hominis natura noscatur.

* Est haec definitio communi omnium Philosophorum consensione firmata, et de homine tradita.

dita etiam ab iis, qui vel imperfectam hominis ideam sibi efformarunt, animaeque humanae facultates aliquas, vel proprietates inficiari non dubitarunt. Quare nulla nos urget necessitas, ut de huius definitionis veritate plura dicamus.

SECTIO I.

De corpore humano.

226. ESse in homine ens aliquod extensum, et impenetrabile, quod CORPVS dicitur, sensu scimus; nec, qui eius exsistentiam inficiari ausit, adhucdum inventus est. Id autem non in rudi, atque indigesto materiae cumulo consistit; sed est machina (§. 159.) quaedam organica*, motus suos, sive secundum propriae compositionis leges, sive etiam ad hominis nutum ** tam apte peragens, ut nulla aptior esse possit ***.

* Machina quidem iure dicitur corpus humanum, quia omnes eius motiones compositionis legibus conformes fiunt, de qua compositione infra sermo erit.

** Horum autem motuum primi VITALES dicuntur, quia ad vitam hominis conservandam absque ullo voluntatis humanae concursu fiunt; hi vero SPONTANEI, nam ad voluntatis humanae libitum peraguntur, et omittuntur.

*** Huius vero structurae intuitu in ruborem dentur, oportet, Epicuraei: nam nec fortuito atomorum concursu, nec alicuius caussae contingentis, quamvis intelligentis, actione machina isthaec elaborari poterat. Vt adeo recte exclama-

verit D. Voltaire : *Hic non agi de materia inordinata, omnisque prorsus utilitatis, consilii, et compositionis experte, sed de organica eiusdem structura, quae sine artifice fieri, vel concipi nequit* (1). Habes ergo hic aliud argumentum, quo Entis supremi exsistentia confirmatur.

227. Corpus humanum est totum dissimilare (§. 98. *not.* 4.) solidis, fluidisque constans partibus, quarum illae ab his perpetuo aluntur, conservantur, et ad exsequendos motus, ad quos destinatae sunt, aptae redduntur. Illa fibris, nempe filamentorum aggregatis; hae vero phlegmate, oleo, sale, terra fixa, sulphure, ferro *, varie inter se mixtis coalescunt. Porro ex motu partium, tam solidarum, quam fluidarum, compositionis modo, ac legibus convenienti VITA oritur; uti MORS ex mo-

---

(1) *L' exemple de mille dés, qui amènent une change est bien plus étranger à la quest on qu' on ne croit. Il ne s' agit pas de savoir si le mouvement rangera différemment des cubes . . . Ce n' est là qu' un arrangement de matière sans aucun dessein, sans organisation, sans utilité. Mais que le mouvement seul produise des êtres pourvus d' organes, dont le jeu est incompréhensible ; que ces organes soient toujours proportionnès les uns aux autres, que des efforts innombrables produisent des effects innombrables dans une règularité, qui ne se dément jamais ; que tous les êtres vivans produisent leur semblables ; que le sentiment de la vue, qui au fond n' a rien de comun avec les yeux, s' exerce toujours , quand les yeux reçoivent les rayons qui partent des objets . . . c' est-la ce que nulle combinaison ne peut opèrer sans un Artisan.* Voltaire *Tom. XXXII. Homel.* 1.

motus illius cessatione consurgit ** . Quod si motus ille sit ordinatus, et regularis, SANITAS; si inordinatus, et irregularis, MORBVS in corpore esse dicitur.

* Prima quidem illa componentia analysi chemica se comperisse testatur Io. Frid. Hoffmannus *Medicin. ration. Tom. I. pag.* 93. : posteriora vero ex eo patent, quod sanguis humanus exsiccatus, et quodammodo frictus proprietatem electricam exserit, quae partes in eo sulphureas, et resinosas inesse arguit. Praeterea sanguis a magnete attrahitur : partes ergo ferreas in se continet; id quod sulphuris demum mixturam aperto ostendit.

** Sed dicet aliquis: si post mortem corruptio sequitur, quae motu peragitur, mors ergo vel non est motus cessatio, vel potius vita dicenda erit. Responsum cape: motus quidem corruptionis est simplex loci mutatio, qua partes naturalem adhaesionem amittentes invicem divelluntur, et corporis destructionem, sive resolutionem producunt; motus autem vitalis est motus secundum leges organicae compositionis confectus, quo fit, ut singulae partes eas praecise actiones edant, eumque circulum conficiant, quae ad constituendam machinam viventem a supremo eius Opifice sunt ordinata, huiusque motus cessatio ea est, quam *mortem* appellamus; ut et illius, *dissolutionem*, vel *decompositionem*.

208. Huiusmodi vero corpus quotidiano cibo, ac potu alitur, quae in ORE prius contrita, postea in VENTRICVLVM iniecta, succorum ad id idoneorum ope, motuque tunicarum, quibus interna ventriculi pars componitur *, bene comminuta digeruntur, et in CHYLVM transeunt. Deinde abiecta per tractum intesti-

nalem crassiori materia., quod eorum substantiae reliquum est in unam massam fluidam convertitur, quae SANGVIS vulgo appellatur, & per omnes corporis partes circumire pergit, unde sanguinis CIRCVLATIO dicta. In hoc porro cursu multimodis ubique sanguis modificatus a diversae magnitudinis, atque naturae vasis, sive tubis, absorbetur, quorum singuli eam praecipue substantiam attrahunt, quae materiae in ipsis contentae sit adfinis, & homogenea **: & haec rursus HVMORVM SEGREGATIO dicitur.

* In homine quidem cibus in ore conteritur, et in ventriculo praeparatur, idque omnibus animantibus ventriculum membranaceum habentibus commune esse, notat Vir in naturalium rerum investigatione exercitatissimus Abbas Spallanzani in sua Physica vegetabili, et animali. Motus autem membranarum ventriculi in eo praecipue digestioni confert, quod ita succus gastricus in intimae tunicae cellulis contentus, velnti expressus emittitur, cibumque suo contactu praeparat. Sunt et alia menstrua eo concurrentia, quae digestionem expediunt, ut bilis, saliva ec. Sed ea Physicis longius disquirenda remittimus.

** Nimirum massa illa fluida per hominis corpus circumacta per tot tuborum orificia transit, quorum parietes data fluidi specie sunt referti. Eodem igitur modo, quo in aliqua fluidorum mixtura, puta olei, aquae, et vini, si apponantur tot ellychnia, quorum unumquodque uno tantum liquorum confusorum sit madefactum, singula singulas confusae materiae particulas, fluido in se contento adfines attrahunt, et a reliquis segregant: sic in sanguinis circulo evenit, ut vasa quaeque eam praecise fluidi speciem ad se trahant, quae flui-

fluido in se contento sit homogenea, veluti in hepate bilis, in renibus urina, in glandulis diversis saliva, succorum diversae species, pituita, cetera huiusmodi, segregantur, ut Physici norunt.

229. Hic autem sanguinis circulus est perpetuus: nam ex omnibus corporis partibus per venam cavam in dextrum cordis ventriculum; & ex hoc per arteriam pulmonarem in pulmones impellitur, ubi probe comminutus, & subactus, denuo per venam pulmonarem in sinistrum ventriculum cordis iniicitur, unde maximo impetu propter cordis contractionem emissus, per arteriam aortam in reliquas corporis partes progreditur; tertia vero fere pars per carotides, & arterias vertebrales ad cerebrum defertur, ubi novas semper sustinens modificationes, ab eo, veluti in elaboratorio quodam, fluidum spiritosum, & subtilissimum secernitur, quod nervos ingrediens FLVOR NERVOSVS * appellatur, cuius est, motu celerrimo nervos peragrare, sensui vero, ac motui inservire, ut infra dicemus.

* De fluidi huiusce natura variae sunt Physiologorum opiniones. Sunt, qui illud fluidum electricum esse dicant, idque ex eius exilitate, motuque paene instantaneo deducere credunt. Sed quamvis ad naturam electricam propius accedat, fluidum tamen electricum prorsus dici nequit. Si namque tale esset, nullam nervi umquam possent subire paralysin, vel obstructionem, nullus esset igni obex, quum omnia hic impedimenta superet, nec usquam retineri, vel retardari possit. Praeterea homini per longam inediam debilitato fluidum illud iam imminutum ope machinae electri-

cae restitui posset: id quod contra evenire experientia docet.

230. CEREBRVM est *viscus vasculosum, & fibrosum mirifice contextum, variisque anfractibus, sinubus, cavitatibus instructum, tunicis, & calvaria bene munitum, in quo fluor nervosus* (§. 229.) *e sanguine separatur, & ad omnes universi corporis partes amandatur* *. Huius visceris tres sunt partes, nempe duo EMISPHAERIA anteriora, & CEREBELLVM, quod aliquanto posterius, ac inferius cerebro iacet. Eius substantia duplex est, CORTICALIS, & MEDVLLARIS; quarum illa cinericium, haec album cerebri superiorem, colorem habet. Illa cerebelli inferiorem; haec cerebri infimam, cerebelli supremam partem constituit. In posteriore cerebri parte substantia medullaris aliquanto extenditur, & induratur, fibrisque cerebelli commixta veluti truncum efficit, quod ulterius progrediens funis instar, per occipitis foramen in spinam ad os sacrum usque protenditur: unde illa OBLONGATA; haec SPINALIS MEDVLLA dicitur **. Tres illae tunicae, quibus substantia cerebri involvitur, PIA MATER, RACHNOIDEA, & DVRA MATER vulgo dicuntur.

* Id ita definit Christianus Vaterus *Physic. exper. Sect. 7. cap. 14.*

** Videatur hac super re Willisius *Anatom. cereb. cap. 15.* Id tamen observandum, repetitis, et

et constantibus observationibus compertum esse, cerebri molem in homine proportionaliter maiorem esse, ac in reliquis animantibus, licet ingentibus. Bonnet. *Contempl. de la nat. Part. III. chap.* 30. *not.*

231. SYSTEMA NERVEVM est *ipsemet cerebri substantia medullaris* (§. 230.) *duriuscula, suis tunicis vestita, & in varios ramos distributa ad omnes corporis organici partes usque protensa;* qui rami a cerebro procedentes NERVI * dicuntur, quorum alii a cerebello orti naturalibus motibus perficiendis; alii a cerebro nascentes sensioni, motibusque spontaneis inserviunt **.

* Hinc nervus a Boerhaave esse dicitur *corporis pars ex medulla cerebri, cerebelli, medulla oblongata, & spinali, & inde porrecta ad omnes fere corporis partes firmas, forma chordarum, vel funiculorum, nuspiam tensa, & ubique laxa procedit. Praelect. Acad. de morb. nervor.* Sunt ergo nervi fasciculi quidam fibrarum per totum corpus undique dispersi, quorum alii maioris, alii minoris crassitiei, alii duriores, teneriores alii sunt, quorumque usum infra observabimus.

** Frequentibus, et constantibus observationibus Anatome confectis constat, nervos omnes integrum systema componentes ad 40. paria ascendere, quorum plurimi e cerebello prodeuntes crassiores sunt, et duriores, iique motibus, uti aiunt, vitalibus inserviunt, nempe chylificationi, secretioni, aliisque similibus; reliqui vero teneriores a cerebro procedentes sensioni, motibusque spontaneis sunt idonei. Idque experientia confirmatur: nam affectis his, sensus vel motus, non item vitae, amittitur; illis vero ruptis, mors statim succedit. Vid. Vater. *Physic. exper. Sect.* 7.

232.

232. Nervi porro ad motus spontaneos destinati musculis, nempe fasciculis fibrarum cylindricarum molliorum sunt adnexi, quorum ope musculorum venter contrahitur, motusque ad hominis nutum producuntur. Vt adeo irritabilitas muscularis a quibusdam iactata non sit proprietas illis insita, sed a nervorum concursu absolute procedens per fluoris nervosi motum: nam si filamenta nervorum abessent, musculi solis vasis, fibrisque carnosis compositi nullam irritabilitatem, vel contractionem natura sua habere possent. Idque ex eo patet, quod extincto eiusmodi fluore, nullam amplius in musculis irritationem observamus. * ..

* Caro itaque, sive fibrae carnosae; vasa quoque flexibilitatem tantum, non etiam irritationem, quae a nervis fluoreque nervoso procedit, musculis adferunt. Id quod si perpendisset Hallerus, systema irrabilitatis rationi conforme confecisset.

233. Vita hominis (§. 227) est, vel VEGETATIVA, vel SENSITIVA. Illa sanguinis circulo (§. 228.), motibusque vitalibus non interruptis; haec fluoris nervosi motu per nervos absolvitur. Nam quum nervi a cerebro ad extremas usque corporis partes protendantur (§. 231.), & per eos motu celerrimo fluidum illud exilissimum difluat (§. 229.), oportet, ut, facta in aliqua corporis parte per obiecti exterioris appulsum mutatione, oscillatio in ner-

nervo producatur, motusque cum fluore nerveo communicetur, qui recta ad cerebrum progrediens, similem in eius substantia producat impressionem: impulso vero in cerebro nervi extremo, fluidum moveatur, nervumque percurrat, donec ad musculum perveniens eum contrahat, motumque gignat. In priori casu SENSVS; in posteriori MOTVS habetur.* .

* Hinc tamen, inquis, motus spontanei, non item vitales, eruuntur. Sed si motus vitales etiam nervorum auxilio peraguntur, sine quibus nullus esset in solidis elater, nulla cordis, viscerumque expansio, vel contractio, adeoque nec ulla fluidorum circulatio, vel segregatio: fatendum est, motus non modo spontaneos, sed et vitales per fluoris nervosi motum absolvi, nec sine eo vitam hominis subsistere posse.

234. Omnes autem solidae corporis partes ad sensum motumque destinatae ORGANA dicuntur, & illa quidem SENSORIA, haec VITALIA. Nos illa retinentes, haec Physiologis pertractanda relinquimus. Organa sensoria, graece αισθητηρια, pro diversis sensibus quinque numerantur; *cutis*, *oculi*, *nares*, *aures*, *lingua* *, quorum primo *tactui servientes*, alteri *optici*, tertio *olfactorii*, quarto *acustici*, postremo *gustatorii* nervi inserviunt.

* Omnium vero organorum sensui addictorum analysis ab Anatomicis peti debet: nos enim instituti ratio ulterius progredi vetat.

235. Corpus autem ita constructum motus

tus spontaneos aeque, ac vitales exercere nequit. Non natura sua: nam quum sit materiale (§. 226.), adeoque iners (§. 159.), nullam in statu suo propria virtute mutationem inducere potest (§. 112.). Non vi structurae organicae: quia haec simplex partium compositio est, adeoque purum accidens, quod nulla vi activa praeditum est (§. 125.). Machina ergo isthaec organica nullum ex se motum peragere potest, estque prorsus inactiva: ut adeo alia caussa extra se opus habeat, a qua moveatur.

* Ne fluor nervosus quidem ex se motum producere potest, etenim quum sit materia, licet subtilissima, iners quoque sit oportet (§. 119.); adeoque, nisi externa accedente caussa, moveri nequit (§. 112. 229.).

SECTIO II.

De anima humana.

236. QVoniam ergo corpus humanum motus, tam vitales, quam spontaneos exercet (§. 226.**), eos vero vi propria in se producere nequit (§. 235.): alia caussa extra id exsistat, necesse est, a qua corporis motus omnes producantur. Hanc autem caussam extra hominem non esse, quisque videt; & ex adverso intra eum exsistere, experientia, sensusque communis constanter evincit. In ho-

homine igitur ens aliquod a corpore diversum exsistit, quod omnium corporis mutationum principium, nempe vim illud movendi in se contineat.

237. Vt autem ens illud vim activam habeat, substantia esse debet, eaque immaterialis (§. 119. 125.), quae corpori unita unam substantiam completam efficiat (§. 123.), unamque personam (§. 124.), nempe hominem. Evidens ergo est, in homine exsistere substantiam immaterialem sensibus imperviam (§. 113.), vique activa praeditam, a qua omnes corporis motiones pendeant *, ipsumque corpus ad varios successive status determinetur.

* De motibus quidem spontaneis nullum adhuc incidit dubium: nam ut fluidum nerveum ad datum motum per nervum quemdam determinetur, et ad aliquam praecise corporis partem movendam proficiscatur, debet ad motum a caussa aliqua externa determinari, quum sit materiale, adeoque natura sua iners: non a cerebri motibus, quia si id esset, omnes nervi semper oscillarent, omniaque continuo membra moverentur; non ab obiectis externis, quia nullam cum cerebro habent communicationem; non ab ipso corpore, quippe quod ab eodem fluido moveri debet: ergo ab alio ente a corpore diverso. De motibus tantum vitalibus quaestio esse potest: quidam enim vitam hominis vegetativam plantarum vegetationi similem faciunt, quae quum nullo principio immateriali indigeant ut alantur et crescant, solo simplicique humorum motu per fibras suas enodantur, et vegetant: sic impresso semel a Deo fluidis motu, solidis vero elatere, eodem

mo-

modo, quo horologium ab artifice ordinatum motus suos peragit, circulum quoque sanguis per hominis corpus conficiat, nullo alio requisito motus principio. At in similitudine disparitas est. In plantarum enim vegetatione non vis quaedam interna, sed caussa prorsus externa agit, nempe radii solares, qui Telluris viscera penetrantes, eaque calefacientes, motum humoribus in iis contentis imprimunt, qui a poris radicum bibulis absorpti per truncos, ramosque recta procedunt. In homine vero nulla huiusmodi externa caussa observatur: nam nec radicibus telluri alligatus est, nec aliam huiusmodi motuum caussam extra se agnoscit: debet ergo in homine ipso esse principium activum, quod eorum motuum caussa sit. Obiiciunt Adversarii: corpusculum in utero matris vegetare ante animae infusionem, donec sufficienter sit organis instructum. Sed corpusculum illud matris utero ope umbilici est alligatum, ita ut materni corporis partem efficiat; ac proinde omnes motus in eo producti sunt veluti motuum totius continuationes, qui quum a principio maternum corpus vivificante procedant, eamdem suarum motionum caussam agnoscit: infusa vero anima, homuncio ille propria vi movetur. Eccur autem, subdunt adversarii, motus vitales anima suspendere nequit? Respondemus, idem accidere in anima, quod in igne. Ignis praesentia calorem circum undequaque producit, omnesque caloris effectus, veluti aeris adiacentis rarefactionem etc., nec ignis eiusmodi effectus impedire, vel suspendere potest. Sic anima, ut principium activum, motus in corpore vitales sola sui cum eo unione praesentiaque producit, nec eos suspendere potens est, donec e corpore exeat: necessaria namque connexio adest inter eius praesentiam, et huiusmodi effectus. Vt adeo illa motuum vitalium sit caussa necessaria; spontaneorum vero caussa libera.

238. Quoniam autem homo cogitat, scilicet res percipit, de iis iudicat, rationesque

que conficit (§. 25. *Log.*) : quin ens in eo facultate cogitandi praeditum exsistat, dubitari nequit. Vis, et facultas cogitandi est hominis essentiale : requirit ergo subiectum inhaesionis, nempe substantiam, cui facultas illa tribui possit. Cogitatio contra est actio : adeoque principium efficiens vi activa praeditum supponit. Rursus cogitatio, adpetitio, electio sunt entis cogitantis verae modificationes : exigunt ergo subiectum modificationis, quod se ad varios illos agendi modos propria virtute determinet. Tandem cogitatio est actio unica, et simplex : igitur unicae tantum substantiae tribui debet, quae eodem tempore pro diversis modificationibus diversas etiam actiones edere possit. Quumque sensu interno pateat, hominem cogitationibus, et volitionibus, corporis etiam motus spontaneos haud raro adiungere, immo semper motus illos volitionibus respondere, ab iisque pendere : consequens est, ut idem ens, quod in homine cogitat, et vult, machinam organicam in eo moveat.

239. Vt motus spontanei nec a corporis natura, nec ab illius organica structura repeti possunt (§. 235.), sed ab ente immateriali a corpore diverso sunt producendi (§. 236.) : sic cogitationes, adpetitiones, aliaeque similes actiones in homine obviae eidem enti immateriali tribui debent, nec corpori ulla ratione competere queunt. Corpus enim tale est, ut vis co-

gi-

gitandi subiectum, nec inhaesionis, nec modificationis esse possit.

240. Nimirum corpus est ens compositum, et extensum (§. 159.), cuius essentialia, ex omnium Philosophorum etiam libertinorum confessione, sunt extensio, soliditas, inertia; attributa vero divisibilitas, figurabilitas, commensurabilitas, porositas, quiescibilitas, gravitas, cetera huiusmodi. Nihil autem horum habet cum facultate cogitandi adfinitatem, immo adest inter ea contradictio: nam haec omnia compositionem arguunt, et passionem; quum tamen cogitandi facultas simplicitatem indicet, et actionem. Corpus ergo vis, et facultatis cogitandi subiectum inhaesionis esse nequit. Praeterea omnes corporis, quas vocamus, actiones a vi externa procedunt, veraeque sunt passiones; et si quando corpus modificatur, aliam atque aliam extensi figuram, colorem, duritiem, similesque qualitates recipit, quae cogitationi tribui nequeunt, ut attendenti patet*. Corpus igitur cogitationum aeque, ac adpetitionum subiectum modificationis esse non potest **.

* Nemo namque sibimet attendens umquam sensit, se in multis sui ipsius partibus cogitare, aut de una eademque re plures habere cogitationes, nec umquam dixit, vel audivit, cogitationem, aut adpetitionem esse dimidiam, tertiam, quartam, vel esse longam, brevem, magnam, parvam, rotundam, quadratam, albam, ruptam, nigram etc., id quod cogitationis simplicitatem, et

et indivisibilitatem evincit: cuius rei nullam, nec ipsi materialistae, adferunt dubitationem.

** Compositio namque partium, in quo entis compositi essentia sita est (§. 102. *), tamquam purum accidens considerari debet, adeoque actionem, et cogitationem excludit, quum actio substantiae tantum tribui possit. At, inquies, quum corpus sit plurium substantiarum aggregatum (§. 125.), poterit saltem vi suarum partium cogitare. Ne id quidem: nam partes illae, vel complete omnes, vel incomplete cogitabunt. Si primum: tot erunt distinctae cogitationes et adpetitiones, quot erunt partes: id quod sensui interno adversatur. Si alterum: tot ergo inperfectarum cogitationum aggregatum completam cogitationem efficere posset, quod fieri nequit: tum quia cogitatio est actio individua, nec umquam poterit ex partibus coalescere; tum quia, ablata entis compositi parte, cogitationi integritas tolleretur, essetque divisibilis, id quod cum eius simplicitate pugnat; tum denique quia vis cogitandi, utpote vis repraesentativa ad terminum tendit internum, adeoque a vi motrice toto coelo differt, quae ad terminum ducit externum: unde quamvis plures vires motrices (etiamsi substantiis materialibus inessent) unum idemque corpus ad unam metam ducere possint, non idem dici potest de pluribus viribus cogitantibus. Si ergo quaevis entis compositi, nempe corporis, pars licet imperfecte, cogitaret, sibi saperet, nesciretque quid alia ageret, atque in eadem imperfectione singulae manerent, nec esset in homine ens sui; suarumque actionum, perceptionum, et adpetitionum conscium: quod est contra experientiam, et sensum communem.

241. Substantia illa a corpore diversa; quae vi, et facultate cogitandi, volendi, corpusque movendi praedita est, ANIMA vocatur: eaque definiri potest per *substantiam vi cogitandi praeditam* *.

* Vis cogitandi nomine vim quoque volendi intelligimus; quum autem *substantiam* dicimus, ei corporis movendi vim tribuimus (§. 119. 125.). Habes hic animae definitionem a posteriori desumtam; ut adeo principium demonstrandi recte dici possit (§. 128. *Log.*). Quae vero de anima hominis praecise tenenda sunt, inferius dicemus.

242. Quoniam ergo anima est vi cogitandi praedita (§. 241.): liquet, in hac vi eius essentiam reponi debere; adeoque nihil referre, utrum anima, dum in corpore manet, in perenni cogitatione versetur, an aliquando a cogitatione desistat, id quod ignotum est: licet tamen prior sententia probabilior saniori philosophiae videatur *.

* Acriter quidem inter Cartesianos, et Ioannem Lockium cum Clerico disputatum est, utrum anima in perenni cogitatione persistat, ita ut ea dicenda sit animae essentia? Adfirmabat Cartesius, et post eum Malebranchius, ea ducti ratione, quia cogitatio haberi debet, ut constituens natura substantiae intelligentis. *Princ. phil. Part. I. art.* 63., id quod alibi confirmat: *necessarium videri, ut mens semper actu cogitet, quia cogitatio constituit eius essentiam. Epist. p.* 2. *ep.* 4. Hanc vero puram principii petitionem esse, nemo non videt: contra vero maximi momenti est perpendere, cogitationem esse animae actionem, quae ab exercitio vis, et facultatis cogitantis pendet: unde in ea essentiam animae constituere idem esset, ac facultatem cum eius exercitio, potentiam cum actu confundere. Sed quamvis a Cartesio dissentiamus, non eam tamen habent vim argumenta Lockii, ut eidem tuto adsentiamur. Animam enim in somni statu non cogitare, ait Lockius, idque ex eo cognosci, quod nulla somni suppetat nobis notio. At miramur, Cl. Virum so-

somnambulonibus non attendisse, qui toto somni tempore ambulant, loquuntur, easque edunt actiones, quas vigilando facere quisque solet: immo vero ratiocinia de rebus vel sublimissimis tam bene connectunt, ut in adstantibus admirationem cieant. Et si expergefacti earum, quae in somno cogitavimus, nullam habemus ideam, non id argumento est, nos nihil cogitasse, quia earum rerum non conscientia, sed reminiscentia deficit ob sensationes vividiores nobis vigilantibus supervenientes, ut suo loco dicemus. Non autem necesse est conscientiam in huiusmodi cogitationibus exigere: nam quum dentur ideae obscurae conscientia destitutae (§. 18. *Log.*), quia perceptiones illae, quae in somno profundo accidunt, obscurae sunt, non mirum, si nihil de iis conscii simus, nec ullam reminiscentiam habeamus. Quam bene autem animae essentia a nobis statuta conveniat, ex iisdem disputantium adsertis erui potest.

243. Quum autem exsistat in homine substantia (§. 241.) vi cogitandi praedita (§. *eod.*) a qua omnes corporis motus producuntur, quaeque in eo cogitat, et vult (§. 238.); ea vero est, quae anima dicitur (§. 241.): consequens est, hominem corpori organico animam habere adiunctam; adeoque exsistere in nobis animam: ita ut qui eius exsistentiam inficiari, vel in dubium vocare ausint, eo ipso eam demonstrent, et confirment *.

* Si namque animam exsistere quis neget, is ostendit, se de huius substantiae non exsistentia cogitare, eaque cogitatione entis cogitantis in se praesentiam fatetur: si vero dubitet, indicat, se de ea nondum esse certum, adeoque iudicare nullam sibi esse licentiam de eius exsistentia tuto adfirmandi, vel saltem nolle se iudicium ferre:

quo ipso exsistere in se ens, quod ita cogitet, aut velit, nempe animam, aperto demonstrat, quum negatio, dubium, nolitio sint solius animae actiones.

244. Sed quamvis certo constet, animam humanam in corpore organico a se animato exsistere: non adeo tamen certum est, in quanam corporis parte sedem habeat, sive ubi SENSORIVM COMMVNE * statuendum sit. Magna namque hac super re inter Philosophos est dissensio: nec rationes adeo validae suppetunt, ut aliquid tutò adfirmare possimus.

* Sensorium commune dicitur ea corporis organici pars, in qua nervi omnes ab organis sensoriis protensi, adeoque et motiones ab iisdem propagatae, simul conveniunt.

245. SCHOLASTICI quidem animam esse dicebant totam in toto corpore, totam etiam in qualibet corporis parte *; LVCRETIVS in corde **; CARTESIVS in glandula pineali ***; D. de BVFFON in cerebri diaphragmate ****, BORDENAVIVS in cuiusque nervi origine †; D. de la PEYRONIE in corpore calloso ††; quidam etiam in universo cerebro ††† animae sedem esse docuerunt. At quia hae opiniones experientiae omnino adversantur, nullam habere possunt firmitatem. Quum autem nervi praecipui a cerebro procedant, aliorum vero a cerebello, medullisve oblongata, et spinali procedentium capita per fu-

funiculos aliquot, fibrasque medullares ad cerebrum pertingant: non abs re erit adserere, animae sedem esse aliquam praecipuam cerebri partem; sed quae praecise ea sit, definiri non posse.

* Veteres Philosophi fere omnes in hac fuerunt opinione. Aristotel. *de anim. Lib. II. c.* 1. *text.* 9. Sed quia experientia constat, nervo arcte vincto, partem nexui inferiorem posse caedi, uri, aliove modo affici, nullo tamen animae sensu: nec ulla ratione adserere possumus, eam esse in toto corpore.

** Idque ex *Lib. III. v.* 142. clare patet, ubi de anima loquens ait:

Idque situm media regione in pectoris haeret.

Legatur hoc super argumento Cicero *Tuscul. quaestion. Lib. I. cap.* 9., nec ab eo abhorrent Empedoclis, Diogenis, Chrysippi, Stoicorumque opiniones. Sed quam longe a vero aberrent, sensus communis aperto demonstrat, qui cogitationes omnes ad cerebrum, non ad cor constanter refert. Idem quoque docet experientia: nam praecipua nostrorum sensuum organa in cerebro terminantur; nervorum vero vix unus, isque parvus funiculi instar, ad cor pertingit.

*** *Glandula pinealis* a pinea forma, est exigua glandula, cinerea, et durinscula, in medio cerebri ventriculo sub plexu choroidaeo suspensa, quae lympham a sanguine secretam, ut aliae glandulae, in ventriculos dimittit. Hanc esse animae sedem contendit Cartesius *Princ. Phil. Part. II.* §. 36. non alia ratione, quam quia ibi praecipue nervi optici coniunguntur. Non advertit autem Vir subtilissimus, nervos opticos ibi praecipue coniungi, ubi eorum nervorum thalami dicuntur, ex iis vero plurima filamenta arcuata ad cerebrum usque protendi; nec nisi duo parvos veluti funiculos in glandulam pinealem introire, ut acute suo more ostendit Vir nostrae aetatis clarus, et in Physiologicis rebus peritissimus *Ep. I. ad Vivent. de* stru-

structura cerebri. Praeterea, quum ab Anatomistis observati sint homines sensum et rationem habentes, quibus tamen glandula isthaec, vel omnino deerat, vel ossis duritiem habebat, opinio haec inter reliqua Cartesii somnia merito enumeratur.

**** *Diaphragma* cerebri Buffon appellat membranam illam, quae cerebrum involvit: unde quum eam animae sedem fecerit, Erasistrati sententiam sequutus est, qui, teste Plutarcho *de placit. philos. Lib. IV. cap.* 5., illam circa *epicranidem*, quae cerebri membrana est, collocavit. Sed, tanti Viri pace, nec firmioribus fulcitam rationibus, nec minoribus obnoxiam difficultatibus hanc opinionem observamus.

† Vid. quoque D. de la Roche *Part. I. chap.* 3. Nullam tamen opinionis suae rationem adducit. Quum autem non omnium eadem nervorum sit origo, cur anima in nervi cuiusque principio potius, quam in medio, aut fine reponi debeat, non videmus: praeterquam quod iisdem, quibus Peripatetica, difficultatibus haec sententia premitur.

†† *Hist. de l'Acad. de l'ann.* 1741. CORPUS CALLOSUM est candidus, et durinsculus fibrarum medullarium fasciculus inter duo cerebri hemisphaeria situs, ubi fibrae omnes ex ipsis hemisphaeriis concurrunt. In hanc sententiam iverunt saeculi nostri Philosophi fere omnes. Sed quum recentioribus observationibus constet, destructo, aut immutato corpore calloso, huiusmodi hominem sensum, et rationem retinuisse, opinionem istam nullo fundamento suffultam suis amatoribus relinquimus. Para *Thior. des êtr. insens.* §. 1062.

††† Contrarium tamen experientia evincit: in multis enim, licet magna cerebri pars deesset, vitam tamen, sensumque incolumem mansisse, compertum est: ut adeo sedem animae in universo cerebro locare non liceat. Nonnulli eam in cerebello statuunt ea ducti ratione, quod illo vix laeso mors superveniat. Sed quum pauci admodum ner-

nervi inde procedant; quomodo sensus, et motus hinc explicari possint, non videmus.

SECTIO III.

De intima animae cum corpore unione.

246. QVemadmodum autem corpus sine anima nec moveri, nec vivere potest, ita et anima sine corpore sentire, imaginari, affectibus adfici nequit. Intima ergo, et arctissima inter animam, et corpus unio intercedit, qua fit, ut illa quocumque modo affecta, corpus aliquas in se mutationes concipiat; hoc vero perculso, anima uniformiter adficiatur. Vt adeo huius unionis vi, duae illae substantiae a se mutuo pendeant, et una in alteram influat, hominisque *partes essentiales* iure dicantur. Ex quo patet, quam absurda fuerit Veterum quorumdam opinatio, qui corpus animae ergastulum esse, animam vero solam hominis essentiam constituere, dictitabant **.

* Experientia namque notum est, corpore percusso, vel morbo aliquo laborante, animam dolore, vel taedio affici, eo contra sano, et harmonice motus suos vitales exsequente, voluptate perfundi; unde tritum illud: *mentem sanam esse in corpore sano*: anima vero adfectu aliquo molesto turbata, corporis aequilibrium amitti, variasque in eo induci mutationes. Id vero argumento est, intimam prorsus, et arctissimam inter substantias illas adeo diversas intercedere unionem, qua fusius infra tractabimus.

 ** Fue-

** Fuerunt in hac sententia Indorum Brachmanes: (Io. Alb. Fabricius *Diss. de Brachmanibus*), Sinenses, Pythagoras (Porphyr. *Vit. Pythag.* p. 201.), Socrates (Plato *in Phaedone*), et Stoici, qui proinde varios in corpus animadvertendi modos invenerunt. Buddeus *Diss. de αρχαιοις phil.* §. 7. 10. 18.

247. Ex quibus omnibus clare deducitur, animam in perceptionibus suis a corpore; corpus vero in motibus ab anima determinari: quod quum ope fluoris nervosi fiat (§. 233.), qui a sanguine secernitur (§. 229.); sanguis contra variis illis componentibus diversimode mixtis constet (§. 227.): non abs re diversa in hominibus temperamenta, adeoque & diversa perspicacia, habitus corporis, agilitas, quin & variae propensiones, & mores observantur, ut suo loco dicemus.

248. Etenim fluoris nervosi qualitas solidorum elateres plus minusve fortes efficit; hi vero sanguinem impellunt, ut motum suum peragat, eiusque velocitas est impulsui, nempe elaterum vi proportionalis; a sanguine porro fluor nervosus in cerebro separatur (§. 219.), omniaque solida aluntur. Consequens ergo est, ut secundum variam sanguinis mixturam, diversam quoque fluoris agilitatem, vasorum capacitatem, sanguinis circulationem, fibrarum magnitudinem, pulsusque adeo qualitatem diversi homines habeant *. Quae quum ita sint, pauca de temperamentis hominum hic addenda censemus.

* Ad-

* Adde et propensionem. Nam pro diversis sensationibus, imaginationis vivacitate, memoriae felicitate, diversi quoque appetitus, et inclinationum gradus enascuntur, diversi quoque adfectus, qui ab appetitu sensitivo originem ducunt, ut infra patebit.

249. Si cui sit pulsus celer, vehemens, et copiosus, fibrae tenues admodum, et tensae, vasa angustiora, sanguis vero materia oleaginea, et sulphurea abundans. ei temperamentum tribuimus CHOLERICVM *. Si in fibrarum magnitudine, in pulsu et vasis mediocritas adsit dulciorem sanguinis circulationem indicans, hic autem particulis salinis sit repletus, SANGVINEVM **; si in fibris durities, in vasis capacitas, in pulsu tarditas et magnitudo, in sanguine materiae ferreae, ac terrestris copia observetur, MELANCHOLICVM ***; si denique fibrae spongiosae sint, et laxae, pulsus tardus ac debilis, vasa tenuia, sanguis multo phlegmate dilutus, PHLEGMATICVM arguimus temperamentum ****.

* Hinc motus agilitas, coloris vividitas, in incessu gravitas, corpus bene constructum, sed eius habitus aridus et siccus, signa sunt temperamenti cholerici, quae id latere non sinunt.

** Sanguineum ergo temperamentum se exserit per ruborem in vultu, agilitatem in membris, habitumque corporis bene nutritum: ut adeo sanguinei maxima membrorum mobilitate propriam corporis temperaturam celare non possint.

*** Color itaque in melancholicis est livi-

dus, terrae ferrove similis, motus tardus et molestus, incessus difficilis, et cum anhelitu coniunctus, corpus compactum, et ossa grandia.

**** Pallor igitur in vultu, motus tardior, corpus obesum et molle, phlegmaticum temperamentum unico adspectu praebent agnoscendum. De his omnibus consulatur Heineccius *in Diss. de incessu animi indice, & in Phil. mor. cap.* 2.

250. Sed quia omnes illae materiae partes dissimilares in sanguine humano inveniuntur, variis tamen gradibus, et quantitate mixtae (§. 227.): hinc est, ut haec temperamenta numquam sola in hominibus observentur, singula vero cum aliis sociata. Quia tamen partium illarum aliqua potest ceteris esse maior, et copiosior: in hominum temperamentis semper aliquod PRAEDOMINANS habetur, quod nempe in oculos incurrit, tacentibus aliis *.

* Non quod alii omnino taceant, sed quia fortiores temperamenti praedominantis impressiones aliorum effectus minus efficaces supprimunt, nec in oculos incurrere sinunt. Hinc phlegmaticum, quia numquam solum invenitur, nullum proprium constituit characterem, sed tantum impedimento est, quo minus alia effectus suos in tota eorum extensione producant.

251. Inde igitur enata est temperamentorum mixtura, ut plerique CHOLERICO-SANGVINEI, quidam SANGVINEO-CHOLERICI, aliqui CHOLERICO-MELANCHOLICI, nonnulli MELANCHOLICO-CHOLERICI, alii MELANCHOLICO-SANGVINEI, alii denique SANGVI-

GVINEO-MELANCHOLICI dicantur: in quibus tamen priori vocabulo temperamentum praedominans indicatur *.

* Insunt quidem et alia. Duo tamen illa prae ceteris fortiora sunt, eorumque primum altero maius, et potentius.

252. Hinc etiam oritur temperamentorum pro aetatis diversitate mutatio, ut in PVERITIA *phlegmaticum*, in ADOLESCENTIA *sanguineum*, in VIRILI AETATE *cholericum*, in SENECTVTE *melancholicum* reliqua post se relinquant, & in homine praedominentur *.

* Idque ex eo patet, quod pueri sint segnes, et somno maxime dediti; adolescentes vivaces, et admodum mobiles; mediae aetatis homines bene firmati, et graves; senes male sani, et tardi. De omnibus his videatur Heineccius *Phil. mor. cap.* 2., et Horatius *de Arte Poetica v.* 158. *seqq.*

CAPUT SECVNDVM

De inferioribus animae humanae facultatibus.

253. TRia olim in homine activa principia Veteres distinguebant, animam nempe, animum, & mentem. ANIMAM appellabant *vim vitalem* *; ANIMVM *vim sensitivam* **; MENTEM vero *vim cogitantem*, *sive rationalem* ***. Sed quia idem ens in homine sentit, cogitat, vult, corpusque movet (§. 238.):

vires illae, non tres distinctae animae species dicendae sunt, sed diversae eiusdem animae facultates, quarum vis vitalis, & sensitiva homini cum brutis sunt communes, unde facultates INFERIORES, vel *animales*, appellantur: vis rationalis ipsi propria est, diciturque SVPERIOR. Nos, quum de vi, & facultate locomotiva quaedam capite praecedenti observaverimus, de duabus aliis nunc acturi sumus: & quidem de inferioribus hic, de superioribus sequenti capite agemus. Quumque vis cogitandi in cognoscendo aeque, ac adpetendo consistat: de duplici hac facultate distinctis sectionibus verba faciemus.

* Hinc apud Plautum *anima* usurpatur pro halitu, sive respiratione:
Foetet anima uxoris tuae?
** *Animum* Horatius eo sensu adhibuit, quum ait:
. . . . *Animum rege, qui nisi paret,*
Imperat . . . . *Lib. I. ep.* 2.
*** Sic apud Terentium *Andr. I.* 1. *v.* 137.
Mala mens, malus animus.
nempe pravi affectus e rationis corruptione nascuntur.

S E C T I O I.

De facultate cognoscendi inferiore.

254. INferior cognoscendi facultas in SENSVM, PHANTASIAM, & MEMORIAM dispertitur. Ista res praesentes; illa absentes percipimus; hac deni-

que

que res perceptas agnoscimus, et in mentem revocamus.

255. Nervi ab organis sensoriis (§. 234.) ad sensorium commune protensi (§. 244. *) duobus modis motum concipere queunt, vel in eorum extremo organis adhaerente; vel in aliqua parte ipsi sensorio proxima. In utroque casu, motus ille nervis impressus cum fluore nervoso communicatur; atque celerrime ad cerebrum usque propagatur, ubi conformis impressio producitur; quae IDEA MATERIALIS, a Scholasticis *species impressa* vocatur, unde in anima perceptio sequitur, quia obiecti alicuius ideam adquirit; quae non est, nisi eiusdem animae modificatio.

Sensus.

256. SENSIO, seu SENSATIO *, est *animae actio, qua res praesentes, sive occasione suarum actionum, sive mutationis in systemate nerveo productae, sibi repraesentat, ac percipit.* Facultas vero sentiendi animae competens SENSVS dicitur. Si suasmet actiones anima percipit, oritur *sensus internus*, *conscientia*, vel ut aliis placet, *sensatio conscientiae* **: sin obiecta externa in systemate nerveo mutationem producentia sibi repraesentat, habetur *sensatio* proprie dicta, sive, ut alii aiunt *sensatio impressionis* ***.

* Nonnulli discrimen sensionem inter, et sen-

sensationem statuunt, et hanc esse, aiunt, mutationem in organo ab externo obiecto productam; illam vero animae perceptionem. Sed quum voces hae latiori a nobis sensu usurpentur, de ea distinctione non erimus solliciti. Duas tamen hasce sensionis species ideo coniunximus, quia in origine, duratione, reproductione, suisque diversis relationibus easdem leges sequuntur; ambas voluptatis aut doloris sensus comitatur, ambaeque in systematis nervei motibus quoddam ligamen efficiunt: unde generali *sensationis* nomine illas exprimimus.

** E. g. Anima, dum cogitat, cogitationis illius est conscia, sive se cogitare animadvertit. Perceptio isthaec dicitur sensus internus, conscientia, vel sensatio conscientiae: quia in eo consistit, ut homo suarummet cogitationum conscius sit.

*** Et hanc solum vulgus Metaphysicorum *sensionem* appellat: ut, quum rosam videmus in oculis nostris mutationem producentem, oritur in anima repraesentatio huic obiecto conformis. Ideo ergo dicitur *sensatio impressionis*, quia oritur ab impressione per obiecti exterioris appulsum in organo aliquo facta.

§. 257. SENSVS INTERNVS est *cognitio, quam habet anima status sui, sive activus is sit, sive passivus*. Quumque conscii esse possimus 1. perceptionum nostrarum*, 2. status peculiaris cogitationum **, 3. adpetitionum ***, 4. status actionum generalis ****, 5. status earumdem specialis †, 6. absentiae, vel diminutionis impressionum ††: ad totidem capita sensus internus referri potest, totque adeo eiusdem species assignari possunt.

* Sensus perceptionum ab Hallero *animae conscien-*

scientia vocatus, quia tunc anima cogitationum suarum conscia est, oritur ab attentione, quam in perceptionibus nostris adhibemus, ut entis cogitantis exsistentia, unitas, et, ut Scholastici aiunt, identitas inde resultet. Hoc sensu status vigiliae a somno discernitur, quia in hoc nulla perceptionum connexio, nulla quoque sensationum conscientia deprehenditur; in illo vero nostri durationem in variis perceptionum gradibus apte connexis observamus, et sensationes nostras clare percipimus.

** Veluti, quum perceptionum nostrarum claritatem vel obscuritatem, distinctionem vel confusionem, iudiciorum rectitudinem vel evidentiam, ratiocinorum legitimam connexionem, memoriae felicitatem, vel ineptitudinem advertimus.

*** Quum enim voluntas plus minusve activa, vel stabilis esse possit, hos diversos voluntatis suae status sensu interno anima percipit, etiam in functionibus ex habitu in naturam conversis, dummodo vel minimam in iis attentionem adhibeamus.

**** Talis est sensus virium nostrarum, quibus omnes edimus actiones. E. g. Quum aegrotamus, percipimus, nos non eamdem habere potentiam quascumque corporum externorum resistentias superandi, quam, quum sani essemus, habebamus. In hoc autem sensu anima suarum virium debilitatem cum corporum resistentia haud raro confundit, eamque huic saepe tribuit: sed si vel minima adsit attentio, huiusmodi confusio statim evanescet.

† Sic varios motus ad voluntatis nutum in corpore fieri animadvertimus: licet modum, quo efficiuntur, prorsus ignoremus; nec ad id animum adplicemus, partim quia musculorum actiones nobis sunt imperviae, partim quia habitus contractus nullam de eo relinquit conscientiam. Sed aliquando superveniunt circumstantiae, quae con-

scientiam illam revocant, veluti palpitatio cordis, et actionem, quae antea non advertebatur, nobis reddunt sensibilem.

†† Sunt, qui conscientiam cum sensationibus coniungere adsueti, unam sine alia haberi non posse putant, atque sententiam hanc, ut paradoxon, respuunt. Si vero idearum suarum analysin instituant, et *hominem novum*, ut Buffon, aut *statuam animatam*, ut Bonnet, et Condillac, sibi repraesentent, admiratio evanescet, huiusque propositionis veritas elucescet. Etenim si statuae huius, vel hominis novi organo e. g. odoratus lilium, vel aliud corpus odorum admoveatur, illico odoris illius sensatio nascetur, atque sensationis huius conscientiam homo novus habebit. Remove corpus illud: nonne novus homo impressionis, sive sensationis eius absentiam sensu interno percipiet, seque non, ut ante, in organo olfactus adfectum advertet? Idem dicatur de diminutione impressionum: veluti si quis duobus fidium tonis in aure adfectus, paullo post unum tantum sentiat: sensationis suae imminutionem inficiari non poterit.

258. SENSATIO proprie dicta est *actio, qua res praesentes, atque in organis sensoriis * mutationem producentes, anima sibi repraesentat, ac percipit* **. In omni ergo sensatione duo requiruntur, nempe IMPRESSIO, hoc est mutatio a re praesenti extra nos posita in organo aliquo sensorio producta, et PERCEPTIO (§. 16. *Log.*), scilicet repraesentatio in anima huic obiecto conformis ***.

* De organis sensoriis vide sis §. 234. Hinc quinque oriuntur sensus: *tactus*, *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus*, quorum omnium universaliorem esse TACTVM, adcuratiores Philosophi docent: is

is enim unus est, ad quem reliqui referuntur, et sine quo nihil essent; quique eos ab aliis rebus, harum vero alteram ab altera, earumque potissimas proprietates distinguere facit. Quidam sextum adhuc sensum opinantur addendum, nempe sensum *honestatis* ac *turpitudinis*. Vid. libellum recentem *La Nature*. Sed eiusmodi absurditatem in ipsis praelectionibus refutabimus, uti non obiter ad trutinam exegimus in *Catechismo hominis et civis Tom. I. Dial.* 2.

** Vides hic *sensationis* vocabulum strictiori sensu acceptum, eo nimirum, quo a Metaphysicis vulgo usurpatur. Tunc enim anima res praesentes percipit, quum facta ab iis in organis sensoriis mutatione, ortaque inde in systemate nerveo oscillatione, fluori nervoso motus imprimitur; hic vero cerebrum concutit, ibique similem producit impressionem, ac modificationem.

*** Hinc sensatio quaevis supponit, 1. *organa sensoria* sana, ut mutationem ab obiecto externo productam in se recipere possint, 2. *nervos* organis illis adhaerentes, et usque ad sensorium commune protensos, sanos etiam, et integros, qui motum illum, sive oscillationem, concipiant, 3. *fluorem nervosum*, qui a nervi extremo ad sensorium commune celerrime procedat, ibique eandem producat mutationem, 4. *cerebri modificationem* illi motui conformem, quam *ideam materialem* supra appellavimus (§. 255.), 5. *animam* ea modificatione admonitam obiectum illud sibi repraesentantem. Quae omnia tam arcte connexa, et colligata sunt, ut facta in organo mutatione, statim et necessario reliquae nervorum vibrationes, animaeque actiones sequi debeant. Quod autem attinet ad obiecta in organis mutationem inducentia, ea vel *extra nos* sunt, vel *intra nos*; et hae rursus, vel aliquam corporis nostri partem constituunt, vel non. Primae classis sunt omnia externa obiecta sensibus obvia; alterius vero cor, arteriae, cetera, quae pulsibus suis aliquando sensationes gignunt: postremae denique, corpora

ex-

extranea in aliqua corporis nostri parte nata, vel concreta, aut quomodocumque iniecta, ut lumbrici, lapides, calculi etc.

259. Ex quibus omnibus patet 1. sensationem nec soli animae, nec soli corpori tribui posse: sed utraque simul in ea concurrere, licet sub diversis modificationibus †, 2. animam in sensione a corpore pendere; unde 3. excitato in organis sensoriis motu aliquo, non esse in nostra potestate, ut aliquam vel nullam, aliamve sensationem habeamus ††. Et quia motionem in organo productam comitatur uniformis cerebri modificatio, eamque sentiendo anima percipit (§. 258. **): sequitur 4. ut sensionis qualitas ex qualitate impressionis intelligi possit *, adeoque 5. diversitas sensationum oriatur a diversa actione obiecti in organum, caussisque eam actionem diverse modificantibus **. Igitur 6 quo vehementior, et celerior est motus in organo, eo fortior, et vividior erit sensatio ***, ac tandem 7. sensatio fortior hebetat debiliorem ab eodem organo pendentem ****.

† Anima quidem percipiendo, obiectumque praesens sibi repraesentando; corpus autem impressionem ab obiecto illo productam in se recipiendo, motumque ab ea impressione ortum per nervos ad cerebrum usque propagando.

†† Posita ergo mutatione in organo, necessario sequi debet modificatio in cerebro, ac perceptio in anima. Vt ergo perceptionem, sive sen-

sationem illam evitemus, cavere oportet, ne mutatio ista fiat, hoc est, organa sensoria ab obiecto removenda; id enim est in nostra potestate, quia in motu spontaneo consistit: nam si eam cautionem negligamus, sensationis absentiam frustra cupiemus.

* Est haec lex, quam vocant, sensationum, quae, dummodo corpus sit sanum, ac bene dispositum, numquam fallit; deficiente vero in corpore sanitate, aliter se res habet: nam si in vitiato nervo aliqua mutatio producatur, sensatio in anima non habebitur.

** Diversae istae modificationes a diversis caussis produci queunt, veluti ab obiectorum constitutione, unde non semper eodem modo in organum agunt; ab eorum situ ad organum comparato; ab organorum structura, et perfectione, essentiali illa, vel accidentali. Hinc ergo diversae actiones, variae quoque sensationes oriuntur.

*** Nempe maiorem eius sensationis conscientiam habemus (§. 257.), atque adeo ideam clariorem, quia rem perceptam melius ab omni alia distinguimus (§. 19. *Log.*).

**** Idque experientia patet: nam solis praesentia lumen aliud quodcumque debilitat; odor acutus alium minus acutum insensibilem reddit; tubarum clangor proximus hominum loquentium voces occupat, ut vix, aut ne vix quidem audiantur.

260. Sensionum porro aliae voluptatem, aliae dolorem in anima gignunt: voluptatem quidem, si nervi nec insigniter relaxentur, nec violentam tensionem patiantur; dolorem autem, si violenta nervorum tensio, vel nimia solutio enascatur. Hinc sensationes illae GRATAE, hae INGRA-

TAE dicuntur; proprioque nomine illae TITILLATIONIS, hae DOLORIS nomine distinguuntur. Est et tertia sensationum classis, quibus nullum est proprium nomen, quia nec dolorem pariunt, neque voluptatem *.

* Sed de his consulantur Malebranchius *de la récherch: de la verit. Livr. I. chap.* 3. §. 1., et Christ. Vaterus *Physic. exper. Sect.* 7. *art.* 2. *cap.* 9., qui omnia haec elegantissime tractant. Loquimur hic tantum de sensationibus gratis, vel ingratis: nam de voluptate, et taedio infra erit dicendi locus. Sunt et caussae, quibus sensationes e gratis in ingratas convertuntur, veluti mechanismi corporei harmonia turbata, phantasia, consuetudo, nempe frequens earumdem sensationum repetitio, unde fastidium oritur. Sed ea singillatim percurrere instituti ratio vetat: qua de re in ipsis praelectionibus ad trutinam revocabimus.

Phantasia.

261. IMAGINATIO est *animae actio, qua res absentes percipit, ope motionum in cerebro a caussa quadam interna productarum* *. Ipsa quidem facultas PHANTASIA, obiecti vero absentis imago PHANTASMA vocatur.

* Imaginatio ergo supponit mutationem in aliqua systematis nervei parte communi sensorio proxima factam; quam quum sequatur idea materialis, sive modificatio cerebri (§. 258.); hanc vero conformis in anima repraesentatio (§. 259.), quas arcte colligatas esse supra diximus (§. 258. ***): hinc est, ut imaginatio a sensione tantum in eo differat, quod haec ab impressione

in

in organo facta; illa contra a motu in nervo producto oriatur: adeoque haec obiectum praesens; illa caussam aliquam interiorem moventem supponat. Et hic quoque cerebri modificationes esse necessarias vel ex eo patet, quod cerebro adfecto imaginatio debilitatur, eo destructo amittitur.

262. Quoniam autem motiones in nervis, pro diversis caussis moventibus, diversae produci possunt; et inter has novae oscillationes numquam antea productae: consequens est, ut non solum res olim sensibus perceptae, sed et novae etiam imagines animae obversari possit *, adeoque phantasia non consistat solum in reproductione idearum ante iam sensu adquisitarum, ut Recentiores aliquot ultro adfirmarunt **.

* Confirmat id Boerhaave *in praelect. acad. de morb. nerv. Tom. II. de morb. ex imagin.* cuius verba referre libet: *Quando numquam*, ait, *talis perceptio fuit, tunc oritur idea nova in mente, quam mens tantum admiratur, et unde perturbatur: haec millies accidunt, in primis in morbis acutis, in quibus saepe nascitur idea, cui similem aegri numquam habuerunt, nec umquam forte habituri sunt. . . . . Videmus ergo, quod interiora sensorii communis per morbos ita possint adfici, ut ideae fiant novae, nec ad alias referendae.* Equidem videmus somnambulones de rebus loqui aliquando, quas neque viderunt, neque audiverunt, nec alio quovis modo sensibus perceperunt.

** Ita sensit Wolffius, eumque sequuti sunt Bohemius, Baumeisterus, Mako, aliique, quibus tamen placuit definitionem sponte dare, nulla ratione, aut experientia constanti suffultam. Potest quidem organum aliquod, vel nervus ipsi destinatus

tus ita adfici, ut obiecta percipiantur numquam sensione nota. Cuius rei exemplum mirabile vidit D. Cullen in matrona quadam, quae quum diuturno in nervis morbo laborasset, interdiu daemonum, horrendorumque spectrorum multitudinem sibi circumstantem videbat, ut hoc viso perterrita quiescere non posset: at clauso oculorum altero nihil amplius observabat. Idem in aegro letali morbo perculso observasse Butinum, narrat D. de la Roche *analys. funct. syst. nerv. Part. II. cap.* 13.

263. Quamvis vero novas, atque insolitas imagines phantasia exhibeat (§.262.): quia tamen raro id accidit, nihil de eo erimus dispiciendo solliciti: sed de illa tantum facultate hic sermo erit, qua ideas olim perceptas anima reproducit. Et quidem imaginatio vel VOLUNTARIA est; vel INVOLUNTARIA. Illa semper * ; haec numquam est in nostra potestate **.

* Nimirum voluntaria fit per adsociationem idearum, de qua mox, adeoque raro a memoria disiungitur, ut experientia interna cuique innotescit. Possumus enim res absentes nobis repraesentare, et amicum, urbem, arborem, aliudve obiectum menti, tamquam praesens, sistere. Eo vero casu περιστάσεις loci, temporis, aliarumque circumstantiarum in memoriam revocamus, ac tandem animum, velut oculorum aciem, ad obiectum iam agnitum obvertimus.

** Equidem voluntariam in nostra potestate habemus, quia si nolimus, animum, et attentionem ab obiecto revocamus. Involuntaria vero in potestate non est, quia propter connexionem, quam systematis nervei motiones cum cerebro, animaeque perceptionibus habent (§. 258.), eodem modo, quo de sensatione diximus (§. *eod.*), ita et imaginatio cerebri modificationem necessa-

rio sequitur. Possumus tamen aliquando sensationibus, quae mentem vividius afficiunt, imaginationes, utpote debiliores, hebetare (§. 259.): at non semper id fieri par est; quia nonnumquam, propter vehementem systematis nervei concussionem, talem sustinet phantasia alterationem, ut organa ipsa sensoria, licet in propatulo, conticescant, et saepius illusionem in nobis augeant, et confirment: ut in Torquato Tasso evenisse accepimus, qui tanta imaginationis alteratione fuit, ut statim ac columna lucis per foramen quoddam in cubiculum ingrediebatur, genium nescio quem sibi adsistentem se videre diceret, cum quo colloqueretur, et a quo permulta sublimia excogitata sibi patefierent.

264. Imaginatio porro voluntaria, vel rem reproducit integram olim perceptam, vel multarum partes componit, novamque fingit *. In primo casu proprie IMAGINATIO; in altero FICTIO appellatur, quam postremam pictoribus atque poetis familiarissimam, *fingendi facultatem* vocamus.

* *Fictionis* nomine non eam tantum actionem indicamus, qua chimaeram effingimus, sed et illam, qua cuiuslibet rei partes componimus, novam inde ideam efformando. Veluti si quis alitis formae vultum virgineum, uncas manus, foedumque ventris tractum uniat, eoque harpyae imaginem sistat, fictionem exercere dicitur: uti sunt Poetae, et pictores, qui proinde phantastici, et fingendi facultate pollentes esse dicuntur.

265. Experientia notum est, nobis rem aliquam percipientibus persaepe alterius obiecti absentis ideam obversari, quae ab imaginatione reproducitur, vel quia simul olim

olim perceptae fuerunt, vel quia similitudinem quamdam inter se habent * . Haec reproductio dici solet ADSOCIATIO IDEARVM.

* E. g. Floris alicuius odorem sentis, quem quia cum flore quondam percepisti, illico floris illius idea tibi ab imaginatione reproducitur. Eodem modo amici imago in mentem redit, quum hominem illi similem, vel alium, quocum illum vidisti, praesentem intueris. Hae ideae dicuntur ADSOCIATAE, quia simul perceptae simul recurrunt. Huius adsociationis rationem reddit Malebranchius, quia ideae materiales in cerebro aliquod sui vestigium relinquunt, et illae, quae simul percipiuntur, vestigia sua simul in cerebri fibris insculpunt ita connexa, ut una recurrente, altera sequatur. *De la recherch. de la verit. Livr. II. part. 2. chap. 3. n. 2.*; eique sententiae litat Storchenau *Psych. empyr. Sect. I. membr. 1. cap. 2. §. 31. Schol.*, ea potissimum de caussa, quod nulla inde timeri posset confusio propter innumera vascula in cerebro exsistentia: nam in cerebri pollice quadrato 49000000000000. vasculorum Schreiberus deprehenderat. *Medit. phil. med. de acrym. & flet. §. 56.* Sed rectius dici posset, reproductiones illas, et adsociationes ex habitu procedere, quo anima res simul perceptas simul reproducere adsueta, ubi earum partem observat, et totam perceptionum seriem in se versat, sibique repraesentat.

266. Ex qua observatione, et definitione sequitur 1. phantasiam, occasione alicuius obiecti praesentis, reproducere ideam alterius obiecti simul cum eo percepti, vel eidem similis *, adeoque 2. in idearum adsociatione primam ideam esse sensualem; 3. excitata ergo seriei alicuius parte, integram seriem a phantasia reproduci. Quumque

que in sensione impressionum frequentia, vis, ac duratio, cerebri fibras fortius adficiat, et in eo profundiora veluti vestigia relinquat (§. 259.): liquet 4. ideas rerum, quas crebrius, vividius, diutius, ac recentius simul percepimus, facilius a phantasia simul renovari **; ac proinde 5. sanguineos, quorum fibrae molliores sunt, et quibuscumque impressionibus facillime recipiendis aptae, fingendi arte prae ceteris, et phantasia pollere.

* Vocatur haec LEX IMAGINATIONIS, vel *adsociationis idearum*. Nec ea tamen adeo universalis est, ut exceptionem non admittat. Potest enim haud raro accidere, ut novi motus in systemate nerveo producantur (§. 262.), quo casu novae illae ideae nullam habebunt cum aliis adfinitatem. Quum ergo dantur species extraordinariae, in quibus ob inordinatam fluoris nervosi commotionem impressio in cerebro alicui vetustae similis producitur, in nova ista serie nec idea sensualis erit initium, nec adsociatio illa secundum legem fiet imaginationis.

** Idque experientia notum est: quo saepius enim rem aliquam sensibus percipimus, eo facilius eam imaginatio reproducit. Sic qui crebrius medicamen degluticns nauseam concepit, viso vix medicamine ad vomitum provocatur. Idem dicendum de vinolentis, qui quum persaepe vini saporem gustui admodum gratum senserint, viso vino, in eius adpetitum incitantur, phantasia saporis illius ideam facilius, ac vividius renovante.

267. Quum autem ex vi impressionis, & motus in systemate nerveo sensionum, idearumque qualitas determinetur (§. 259.), eoque crescat claritas perceptionum, quo vi-

vividius motus ille imprimitur (§. *eod.*); caussae vero internae, fluorisque nervosi concursus debiliorem in systemate illo: quam obiecta praesentia, motum producant, sequitur 6. ut ordinario * phantasmata ideis sensualibus debiliora sint; ac proinde 7. illa ab his hebetentur (§. *eod.*): attamen 8. his tacentibus vividiora evadant **; 9. in eoque phantasmatum a sensionibus sitam esse differentiam ***.

* *Ordinario* diximus: nam dantur casus quidam extraordinarii, in quibus phantasmata sunt vividiora, veluti quum spiritus animales, id est fluor nervosus, motionem in nervis tam vehementem efficiunt, quantam obiecta externa in sensionibus. Tunc autem res absentes, tamquam praesentes, videmus, nec phantasmata a sensionibus distinguere possumus, unde oritur delirium. Vid. Malebranch. *de la recherch. de la ver. Livr. II. p.* 2. *ch.* 1. Et si quando eveniat, ut claritas illa augeatur, nec vividiores quidem sensiones advertuntur; eoque casu phantastici isti nec vulnera, nec stigmata, nec ullam vehementem sentiunt impressionem.

** Hinc ergo est, ut phantasmatis attendere volentes, solitudinem quaeramus, oculos claudamus, aditumque obiectis externis in organa sensoria impediamus.

*** Idque *ordinario* semper intelligendum: nam de eventibus extra ordinem nulla certa regula dari potest. Et phantasia quidem effectus producit in homine mirabiles, eumque in errores, praeiudicia, morbos immergit, enthusiasmum fovet, variis foetus maculis deturpat, et innumera his similia. Ancillam, refert Malebranchius, quum herus aegrotaret, venae sectioni adstantem, quae in heri pede fiebat, statim in eodem corporis sui loco dolorem per dies aliquot sensisse perinde, ac si ipsi

ipsi operatio illa facta esset. *Ibid. Part. II. chap. 6. n.* 3. Ac ne in phantasticis hisce curandis medici fallantur, monet Boerhaave, ut physica aliqua operatio phantasmati opposita inveniatur: aliter enim nullum rationis momentum, nullum veritatis pondus phantasiam curabit: ut puellae acum se deglutisse credenti contigit, teste eodem Boerhaave *Praelect. de morb. nerv. Tom. III.* §. 341.

268. Nullus est fere mentis status, in quo phantasia vim suam maxime ostentet, quam somnium: quippe quum omnes sensus hebetati, ac sopiti nullum retundendis phantasmatis obicem ponunt; imaginatio vero in vasto veluti campo libere sibi relicta undique exspatiatur, nobisque idearum series admodum inordinatas reproducit, & exhibet. Quae quum ita sint, pauca de insomniis, eorumque caussa, & ratione, hic addenda censemus.

269. SOMNVS est *status mentis omni clara cognitione destitutae* *; VIGILIA vero *eiusdem in claris cogitationibus perseverantia*. Inter haec medium veluti locum tenet SOMNIVM, nempe *eiusmodi status, quo anima sensionibus destituta, res tamen absentes clare percipit* **.

* Definitio haec talis est, ut nec a Cartesianis, nec a Lockio, eiusque sectatoribus impugnari possit. Sive enim in somno anima cogitet, ut illi; sive nullas habeat cogitationes, ut hic adseverat: in dubium tamen vocari nequit, animam saltem suimet exsistentiam assidue percipere, eius vero perceptionis in somno nullo modo consciam esse. Manet ergo in statu idearum obscurarum.

Sen-

Sensiones porro in somno, vel nullae sunt, vel admodum debiles, unde eorum conscientia destituimur: eiusque rei rationem reddit Boerhaave *in Oeconomia animali tit. de somno* §. 590. *num.* 1. *seqq.*: *A vigilia*, inquit, *in somnum labenti incipiunt obtundi per gradus, & difficilius exercere omnes sensus externi, internique, accedente sensu ponderis in corpore, & tandem omnino desinere . . . Musculi autem motibus voluntariis exercendis destinati labascere, collabi, flaccescere, paralytici fieri . . . . Cessant omnes illi effectus corporei, & affectiones mentis, quae sequuntur ex hisce, ut ex caussa*. Quum enim obiecta externa in nervos languidos, et remissos impressionem faciunt, non potest in iis vi impressionis motus ille produci, qui tempore vigiliae in systema nerveum apte dispositum, tensumque efficiebatur. Quod si de motibus somnambulonum quaeratur, eos a nimia fluoris nervosi agitatione, ac extraordinario motu evenire tradit Willisius *de anim. brut. cap.* 16.

** Vox *somnii* vaga est: quandoque enim pro statu animae somniantis; aliquando pro ideis animae in eo statu ordinata, vel inordinata serie obversantibus accipitur. Vnde Wolffius illud *subiective*, hoc *obiective* somnium appellavit. Nos illud proprie SOMNIVM, vel *somnii statum*, phantasmatum vero seriem INSOMNIA vocamus. Eo sensu acceptum invenimus hoc vcabulum apud Virg. *Aen. IV.* 9.: *Quae me suspensam insomnia terrent?*

270. Quum ergo in statu somnii anima res absentes percipiat (§. 269.); hae vero perceptiones imaginationi debeantur(§. 61.): infertur 1. in somnio phantasiam tantum operari; adeoque 2. ideas somniantis esse pura phantasmata (§. *eod.*). Et quia imaginatio ideas reproducit, vel occasione sensionis alicuius*(§. 266.), vel motus extra

or-

ordinem in systemate nerveo producti * (§. *eod.* *); hic autem ad sensionem etiam referri potest: liquet 3. somnium initium capere a sensione, & per idearum adsociationem continuari; quae quum pro diversis perceptionibus diversa esse possit, hinc est 4. ut ab eadem sensione diversa in diversis hominibus somnia oriantur **.

* Hinc videmus in sanis hominibus somnia minus; in aegris admodum inordinata evenire: in his enim humor aliquis peccans nervos percellit, ibique motum extra ordinem persaepe producit, a quo vanae illae species, quibus aegrotantes adficiuntur, et vexantur, ortum ducunt.

** E. g. Titius tormenti bellici explosionem in bello; Seius occasione sollemnitatis; Caius in classis alicuius appulsu, senserunt. In somnio idem fragor ab omnibus obscure percipitur: quum hic per phantasmatum successionem, idearumque adsociationem continuetur, necessario iste bellum, ille tumultum festivum, hic portum navibus refertum, multitudinem quoque illuc spectatum concurrentem, somniare debebunt.

271. Quoniam autem ea phantasmatum successio vel continua, vel interrupta esse potest, ut experientia docet, nempe ab una, vel pluribus sensationibus semel, vel pluries inchoata: infertur 5. in primo casu somnium SIMPLEX; in altero COMPOPOSITVM recte dici.

* Vtrumque tamen erit CLARVM, si phantasmatum huiusmodi sensum habeamus internum, ut ea experrecti aliis enumerare possimus: quod si nullam de iis conscientiam habeamus, OBSCVRVM vocabitur.

272. Quia vero phantasmata, quamvis sensionibus debiliora, his tamen concicentibus vividiora evadunt (§. 267.); in somnio vero sensiones vel nullae sunt, vel admodum debiles (§. 269.): evidens est 6. in somnio phantasmata clariora esse, quam in vigilia, adeoque 7. nullam in eo esse phantasmatum, et sensionum differentiam. Quumque phantasmata ordinario sensionibus sint debiliora (§. 267.); hae vero in statu vigiliae clarae sint (§. 269.); in somno contra cognitionum omnium claritas evanescat (§. eod.): recte infertur 8. somnium in vigiliam, vel somnum profundum desinere.

273. Quum autem phantasia in statu somnii secundum legem imaginationis operetur (§. 266.), et ex hac intelligi possit, cur insomnia eveniant: merito colligitur 9. somnium non esse sine ratione sufficiente. At quia res in somnio simul observantur, vel quia simul olim perceptae, vel quia aliquam inter se habent similitudinem (§. 265. 270.); ex his vero nullo modo intelligi potest, cur res illae coexsistant, vel se mutuo sequantur: jure consequitur 10. insomnia nullam habere rationem sufficientem *.

* In hoc ergo rursus differunt somnium, et vigilia: quod in hac res observatae rationem habent sufficientem, adeoque exsistunt (§. 23.); in illo vero nullam, ac proinde non exsistunt (§. eod.).

274. Quia denique phantasia eo facilius ideas reproducit, quo crebrius, et recentius res perceptae sunt (§. 206.): hinc est 11. ut somniantes ea, quae frequentius, aut pridie egimus, vel cogitavimus, videamus *.

* Et inde concipitur, quamobrem venator saltus, nauta puppes et aequor, piscator retia, miles bella somniet, utque ea, quae cupide adpetimus, in somnio persaepe videamus. Non abs re igitur Poeta quidam Italus haud spernendus ait: *nocturna somnia esse diurnas ideas corruptas, & inordinatas*.

Memoria.

275. MEMORIA est *facultas recognoscendi ideas reproductas* *. Huius facultatis exercitium dicitur RECORDATIO; impotentia vero ideas illas agnoscendi OBLIVIO vocatur **. Tunc autem rem aliquam recognoscimus, quum eam alias praesentem habuisse, nobis conscii sumus.

* Memoria ergo supponit idearum reproductionem: nam in sola earum recognitione sita est. Vnde falluntur, qui illam cum facultate ideas instaurandi confundunt.

** Cave tamen, oblivionem cum *amissa memoria* confundas, quam vocabulo *non meminisse* Philosophi distinguunt. Oblivionem enim comitatur sensus internus, se ideam illam olim habuisse, nunc autem eam recognoscere non posse. At memoria amissa, quae et *oblivio oblivionis* non incommode vocari posset, nullam eius impotentiae relinquit conscientiam, ut plurimis eruditis Viris senio confectis accidisse constat, qui suamet ope-

ra non agnoscebant, nec umquam illa se scripsisse recordabantur; id quod ex nimia fibrarum cerebri relaxatione, ac remissione procedere, nemo non videt.

276. Quoniam autem idea aliqua, vel per sensationem, vel per imaginationem reproduci potest (§. 266.): in illa vero res praesentes (§. 358.), in hac absentes sunt (§. 261.): facultas ideo recognoscendi ideas per sensionem oblatas, rerum nempe praesentium, REMINISCENTIA*: rerum vero absentium notiones per imaginationem instauratas, MEMORIA proprio nomine appellatur **.

* De la Roche *Analys. function. system. nerv. Part. II. cap.* 13. Christianus Wolfius per reminiscentiam intelligit facultatem mediate (id est, ut explicat Baumeisterus *Metaph.* §. 538., mediantibus quibusdam circumstantiis) reproducendi, et recognoscendi ideas praeteritas. *Psych. empyr. Sect. II. cap.* 5. §. 230. Sed quum idearum reproductio, ex eiusdem confessione, imaginationis sit; recognitio memoriae: praeter necessitatem vocabula, et definitiones multiplicata videmus; ac proinde non abs re alium adhuc sensum vocabulo *reminiscentiae*, usum loquendi servantes, dedimus.

** Quia memoria idearum reproductionem supponit (§. 275.); reproductio vero illa vel sensui, vel phantasiae debetur (§. 266.): ideo a sensu reminiscentia; a phantasia memoria pendet. Quumque phantasia per adsociationem ideas reproducat (§. 265.); in adsociatione vero locum habeant circumstantiae loci, temporis, aliorumque adjunctorum: vides, non abs re nos notionem vocabulo *reminiscentiae* a Wolfio adiunctam memoriae tribuisse.

277.

277. Totum ergo memoriae momentum consistit in conscientia, quam habemus, ideam nunc reproductam, et in hac perceptionum serie occurrentem contineri in alia serie iam praeterita. Atque haec dici solet LEX MEMORIAE. Ex quo patet, memoriam, quippe quae speciatim a phantasia pendet * (§. 276. **), ab iisdem rebus adiuvari, vel deteriorem fieri, quae hanc promovent, aut deteriorem reddunt.

* Et quidem, si phantasia seriem praeteritam obscurius instauret, memoria ideam recognoscit, at locum, tempus, aliasque circumstantias, quae olim eamdem ideam comitatae sunt, ignorat: si vero cum illa idea nulla series a phantasia reproducatur, eam memoria recognoscere non valet. Quam magna ergo adfinitas inter duas hasce facultates intercedat, nemo non intelligit.

278. Et quoniam ex perceptionum frequentia, claritate, attentione, ac duratione, eas reproducendi facilitas in phantasia oritur (§. 266.); ab hac vero memoria pendet (§. 276. ** 277.): consequens est 1. memoriae facilitatem iisdem conditionibus adquiri *; atque inde 2. non iniuria memoriam dispesci in NATVRALEM **, et ARTIFICIALEM, sive ADQVISITAM ***. Quumque non eadem diversis hominibus sit vis imaginationis (*per exper.*): sequitur 3. ut nec eadem omnibus sit memoria; ideoque 4. facultas haec diversos gradus admittat; ut et 5. memoria naturalis in sanguineis maxima sit (§. 266.).

* Idque experientia notum est: quo namque diutius rebus percipiendis immoramur, quo crebrius easdem perceptiones repetimus, quo attentius, et vividius eas percipimus, quo denique recentius perceptiones illas habuimus, eo facilius, clarius, ac diutius earumdem recordamur. Videt ergo quisque, memoriam exercitatione, et attentione iuvari, optimeque a philosophis enunciatum esse: *memoriam excolendo fieri*.

** Naturalis memoriae bonitas ab apta cerebri dispositione, eiusque fibrarum flexibilitate oritur; ita ut cerebro labefactato, memoria amittatur, id quod puero 9. annorum ingenti capitis dolore excruciato evenisse ferunt. *Mem. de l' Acad. Royal. des scienc. de l' ann.* 1711. Hinc videmus pueros ineunte jam adolescentia, quorum fibrae molliores sunt, ac flexibiliores, cito res discere, quandoque vero oblivisci; viros contra, utpote fibris siccioribus, et durioribus instructos, difficile addiscere, difficilius etiam oblivisci. Mirabile naturalis huius memoriae exemplum veteres observarunt in Themistocle, Lucullo, et Mithridate, qui omnes exercitus sui milites sigillatim enumerabat, singulosque suo quemque nomine appellabat.

*** Et quidem pro iuvanda memoria inventa est ARS MNEMONICA, de qua plura tradit Auctor ad Herennium *Lib. III. cap.* 16. *seqq.* Ea tamen usu magis, et exercitatione, quam arte quacumque iuvatur: eoque uno praesidio adiutum se scribit Ioannes Wallisius *Algebrae c.* 103. *pag.* 449. *vol.* 2. *oper.*, qui memoria adeo felici praeditus erat, ut noctu 12. Kal. Martii ann. 1670., quum eius visendi gratia in Angliam e Borussia venisset Ioannes Georgius Pelshover, radicem quadratam 27. notarum ex numero 53. characterum sola memoria extraxit communi methodo, nullisque naevis scatentem. Wolfius *Psychol. empyr.* §. 197.

279. Quum autem oblivio sit impotentia ideas reproducendi (§. 275.); ea vero

ro ex defectu reproductionis, et adsociationis idearum oriatur (§. 276. **): recte colligitur 6. potissimam oblivionis caussam esse phantasiae imbecillitatem *.

* Eaque naturalis caussa dici potest : nam adsunt aliae caussae, quae oblivionem gignunt, veluti desuetudo, distractio, attentio ad alia obiecta imaginationem fortius adficientia etc.

280. Si quando ideas aliquas facile instauramus, ac recognoscimus, eas MEMORIAE MANDARE; si in eiusmodi facilitate perseveramus, MEMORIA RETINERE dicimur. Memoria porro, si res cito, et facile ipsi mandentur, BONA; si in multis, longisque seriebus, MAGNA; si distinctissime retineantur, TENAX; si eadem semper in ideis claritas permaneat, VEGETA; si denique omnes simul dotes istae concurrant, FELIX appellatur. Quando demum ideae reproducendae facilitas est amissa, nimirum, si nec frequentior eius, nec attenta reproductio praecesserit, quo praesidio memoriam iuvari diximus (§. 277.), ideam illam *memoria excidisse* pronunciamus.

281. Memoria LABITVR, si fictio diversarum idearum partes componat, indeque unam conficiat notionem, quum tamen nullam commixtionis huius mens habeat conscientiam: quod dum fit, alio nomine MEMORIA nos FALLI dicimus *.

* Id autem accidit, quum praesente idea quadam, imaginatio eam idearum seriem reproducit, in qua pars tantum ideae illius, vel alia eidem quodammodo similis continetur. Tunc enim ideam illam praesentem in hac ficta serie contineri credentes, memoria fallimur. E. g. Arborem vides novam, atque numquam a te conspectam, in qua tamen flores observantur alius arboris floribus tibi notae similes. Falleris ergo, si credas arborem illam alias a te fuisse visam. Id vero ab attentionis defectu, atque iudicii praecipitantia procedit: cui errori si adsensum adeo praebeas, ut nullis rationibus te inde dimoveri sinas, *nimiae confidentiae* praeiudicio eris praeoccupatus, iustamque eruditorum reprehensionem incurres.

SECTIO II.

De facultate appetendi inferiore.

282. FACVLTAS APPETENDI INFERIOR ea est, quae ex perceptionibus boni confusis originem ducit, quaeque a voluptate, vel taedio ad adpetendum, vel aversandum determinatur. Dici quoque solet APPETITVS SENSITIVVS, quia ad facultatem animae inferiorem, quae *sensitiva* dici consuevit, a sensu quippe, et phantasia pendentem, pertinet. Prius ergo *voluptatis*, ac *taedii*; deinde boni, malique notiones evolvamus, ut facultatis huiusce distinctam adquiramus cognitionem.

Voluptas & taedium.

283. VOLVPTAS est *grata animae adfectio; sive modificatio, ex sensu perfectionis*

nis orta. Eius oppositum est TAEDIVM, id est, *adfectio ingrata ob sensum imperfectionis* *. Inter haec media est INDIFFERENTIA, *is nempe animae status, in quo nec voluptate, nec taedio adficitur* **.

* Definitio haec realis est: non enim tantum quid sit voluptas exprimit, sed eius genesin, et originem exponit. Eius rectitudo experientia patet. Nam si e. g. quasdam perfectiones habere te sentias, oppido voluptate profunderis, hoc est, in anima oritur grata quaedam adfectio, sive modificatio (§. 125.), quae sensu interno cuique patet, nullis tamen verbis exprimi potest. Contra vero, si te non bene valere sentias, oritur in te ingratus sensus, qui imperfectionem indicat, taedio nempe adficeris.

** Vides ergo voluptatem, ac taedium esse contraria, quia medium admittunt, adeoque simul stare posse: nam si contradictoria forent, exclusio unius inclusionem alterius inferret; ac proinde nullum inter ea medium adesset (§. 87.).

284. Ex quibus definitionibus liquet 1. rationem voluptatis sufficientem esse intuitivam perfectionis cognitionem (§. 283.), 2. eo maiorem esse voluptatem, quo maior est perfectio, quam percipimus, item 3. quo vividior est eius repraesentatio, et 4. quo maior est de perfectione certitudo, 5. voluptatis durationem eiusmodi repraesentationis durationem sequi; adeoque 6. ex vera perfectione veram; ex apparente apparentem oriri voluptatem; hinc 7. vera voluptas non modo veram perfectionem, sed et certam eiusdem cognitionem requi-

rit. Quumque vera perfectio numquam deficere * (§. 75.); certa vero de ea cognitio numquam incerta evadere possit (§. 13. *not.* 4.): consequens est 8. ut vera voluptas inde percepta sit durabilis; contra vero 9. voluptas adparens non sit durabilis, sed transitoria, et in taedium degenerans. **.

* Vera namque perfectio ex vero variorum consensu oritur (§. 75.), nempe ex vera entis cum sua essentia, et fine convenientia (§. 70.). Quando igitur talis est, qualis esse debet, nulli umquam mutationi perfectio illa subiacere poterit: mutatio namque, vel deficientia tunc orietur, quum quidquid consensus videbatur, in se dissensus est, adeoque procedente tempore falsitas evanescet, perfectio vero in imperfectionem degenerabit.

** Si harum propositionum oppositas evolvas, quae de taedio observanda sunt, nullo negotio, et legitima consequutione deduces. Qua de re ab eorum exaratione merito supersedemus.

285. Quoniam ergo ex cognitione perfectionis intuitiva voluptas oritur (§.284.); una vero, eademque res uni perfecta, alteri imperfecta videri potest * (*per exper.*): sequitur 10. ut eadem res uni voluptatem, alteri taedium adferre possit, immo vero 11. ab eodem obiecto sub diversa relatione considerato voluptas simul, ac taedium in mente produci queant, nec tali casu se mutuo tollant. **.

* Id vero a diversa organorum structura, a diversis item perfectionis, imperfectionisve ideis, qui-

quibus diversi gaudent homines, vel ab indolis, geniique varietate pendere, nemo non videt.

** Nam quum voluptas a sensu perfectionis oriatur (§. 283.), eique adeo semper sit proportionalis (§. 284.): potest ex eadem re voluptas oriri ob perfectiones; taedium vero ob imperfectiones in ea observatas: unde saepe dicimus, *maiorem fore nostram voluptatem, si quaedam abessent*. Erravit ergo Leibnitius, et cum eo Boehmius *Psych. empyr. Sect. II. cap. 1. §. 463. not.* ea simul stare non posse credentes: quasi vero voluptas, ac taedium essent contradictoria, quae medium non admittant, nec simul stare possint (§. 87.). Exempla passim exstant. Pater filium videt praeclara mente praeditum, ex eoque voluptatem capit, in illo tamen observat aliquam imperfectionem, quae taedium gignit, ac voluptatem minuit, non tollit. Possunt ergo simul consistere.

286. Voluptatis, vel tedii PRAEDOMINIUM est *vividior repraesentatio perfectionem, vel imperfectionum, quae aliam sibi contrariam, minusque claram obtundit, & debiliorem reddit* *.

* E g. Mulier amissa gemma taedium percipit: interim filius ei a bello redux, cuius vitae iamdiu timuerat, incolumis offertur. Maior tunc orietur voluptas, quae omne taedium abiget, ac debilitabit. En voluptatis praedominium. Eodem modo de taedio praedominante exempla passim colligere licet.

Bonum & malum.

287. Bonitatis, ac perfectionis ideam unum idemque esse, docuimus in Ontologia (§. 73. *): ibi tamen de bonitate tan-

tum absoluta, sive metaphysica sermo fuit (§. 70. *). Sed quia ens aliquod non modo absolute, et in se, verum etiam relate ad aliud ens spectari potest; in hac vero relatione quandoque perfectionem; nonnumquam etiam imperfectionem adferre, experientia docet: non abs re doctrinam de bono, ac malo relativo hic reservavimus, quod quum pro diverso hominis statu diversum sit, de hoc pauca praemittere, instituti ratio, methodique rigor exposcit.

288. STATUS HOMINIS est *eiusdem consideratio sub aliquo respectu, vel circumstantiis* *. Et quidem homo considerari potest, vel ut *animal* simpliciter, solo nempes sensu, et appetitu sensitivo instructus, vel ut *animal liberum*, scilicet ratione, et libertate utens. Prior consideratio dicitur status hominis PHYSICUS; altera vero MORALIS **.

* Idque communi loquendi usui est conforme. Nam non aliter diversos hominis status distinguere solemus, nisi eum sub aliquibus relationibus, et circumstantiis considerando, ut ita eumdem hominem ingenuum, vel servum; patrem, vel filium; patricium, vel plebeium; divitem, vel pauperem ec. secundum illarum diversitatem appellemus.

** Sic corporis sanitas, membrorum integritas, ingenii perspicacia, memoriae felicitas, et huiusmodi machinae organicae harmonia, ut commercii phaenomena rite procedere possint, perinde ac circumstantiae his contrariae, statum hominis phy-

physicum constituunt; libertatis usus, vel abusus, omniaque inde manantia, statum eius moralem componunt.

289. BONVM in genere dicitur *quidquid ens aliquod perficit, aut cum eius perfectione connectitur*: MALVM contra, *quidquid ens illud destruit, aut imperfectum reddit*. Speciatim autem, & comparate ad hominem, BONVM est *omne, quod hominem, eiusque statum conservat, ac perficit*; MALVM vero, *quod illum destruit, eique imperfectionem conciliat* *. Quidquid tandem nullam cum hominis perfectione, aut imperfectione relationem habet, INDIFFERENS appellatur. Porro tam bonum, quam malum pro diverso hominis statu (§ 288.) recte dividitur in PHYSICVM & MORALE, prout a caussis physicis, vel a libera hominis voluntate pendet **.

* E. g. *Sanitas*, *virtus*, *opes*, bona sunt; *morbus*, *ignorantia*, *miseria*, mala. Idem sensisse Ciceronem ex *Paradox*. 1. adparet: *Quidquamne*, ait, *est bonum*, *quod non eum*, *qui possidet*, *meliorem faciat*? Si quaeras, quamnam perfectionem, aut imperfectionem enti alicui bonum, malumve conciliet? respondebimus, accidentalem: nam essentialis cuique enti inest, quum quodlibet ens sit metaphysice bonum (§. 78.). Et ideo perfectionem in veram, et adparentem dispescimus: in illa namque accidentia revera cum essentialibus conspirat, in hac vero cum iis consentire videntur, quum tamen realiter dissentiant. Si namque de essentiali sermo esset, haec in entibus quibuscumque semper, ubique, revera, et actu inesset, nec umquam adparens dici posset.

** Sic

** Sic sanitas, vita, voluptas, bona physica sunt; morbus, mors, taedium, mala. Virtus contra est bonum morale; ut et huiusmodi malum est vitium. Hinc vides, bonum, et malum morale talia esse, prout perfectionem, vel imperfectionem producunt. Vt enim rectus libertatis usus ad sui conservationem, perfectionemque ordinatus durabilem homini voluptatem, animique tranquillitatem gignit: ita eiusdem abusus ad sui destructionem, imperfectionemve directus, durabile taedium, atque infelicitatem in homine, nulla data ad legem relatione, producit. Lex igitur Naturae salutaria iubet, noxia vetat, adeoque supremus Legislator parentis eodem tempore personam sustinet, qui bonas actiones ideo iubet, quia homini perfectionem, conservationemque conciliant; malas contra vetat, quia eum vel destruunt, vel imperfectiorem reddunt. Falluntur ergo, qui post Pufendorffium doctrinam hanc Sanctae Religioni admodum consonam, a Patribus, ac Theologis adeo propugnatam inficiari audent, ac ullum morale bonum, malumve dari posse negant, nisi in relatione ad legem, et universam actionum moralitatem interiorem destruentes, omnem honestatem, ac turpitudinem ad supremi Numinis voluntatem rediguut. Quod si admittatur, nec iustitiae ideam bene confici posse, et potentiam irresistibilem Hobbesianam haud procul abesse, quisque videt.

290. Ex quibus definitionibus fluunt axiomata 1. ideam perfectionis in bono, imperfectionis in malo contineri, 2. bonum, & malum esse vel VERUM, vel ADPARENS * (§. 75.). Et quia perfectionis idea voluptatem; imperfectionis notio taedium producit (§. 284.): liquet 3. repraesentationem boni voluptatem; mali vero taedium gignere. Sed quia bonum, & malum verum semper tale est; adparens non semper ** (§. 75. 284. *); sequitur, 4.

4. ut voluptas, vel taedium ex bono, vel malo vero proveniens sint durabilia; ex adparente transitoria; ita ut 5 voluptas huiusmodi in taedium; hoc vero in voluptatem tandem degeneret ***.

* Bonum, aut malum verum est, quod veram perfectionem, imperfectionemve producit; adparens, quod adparentem. Quia vero perfectio adparens est vera imperfectio, et contra (§. 75.): bonum adparens est verum malum sub specie boni, malum adparens est verum bonum sub mali cortice fallens.

** Quum enim verum bonum, vel malum veram perfectionem, vel imperfectionem; adparens adparentem tantum homini conciliet: vera autem perfectio, et imperfectio sit immutabilis; adparens contra mutabilis (§. 284. *): quin verum bonum, malumve semper tale sit; adparens non semper, quisnam in dubium vocare ausit?

*** Et quidem, si bonum adparens est verum malum sub specie boni fallens (per not. 1.), nulli dubium esse poterit, quin, ablato velamine, sub genuino tandem mali aspectu apparere debeat: adeoque voluptas illa, quam ex boni opinione percepimus, ob mali praesentiam in taedium convertetur. Contra vero, quum malum adparens sub mali specie fallat, sed bonum sit intrinsecus, mutatis circumstantiis adparentiam illam producentibus, in bonum, quod revera est, evadet; ac proinde taedium illud temporarium, quod mali aspectus producebat, in voluptatem degenerabit. Sunt ergo transitoria.

291. Quia vero perfectio aeque, ac imperfectio suos gradus in entibus finitis habent (§. 130.): bonum, & malum suis etiam gradibus gaudeant, necesse est. Bo-

num.

num ergo minus erit malum quoddam relate ad maius bonum; ut & minus malum aliquod bonum erit comparate ad maius *.

* Vocari solet hoc bonum, vel malum *relativum*, ut distinguatur ab absoluto, nempe in se spectato (§. 289.). Addunt Philosophi bonum ANIMI, quod animum perficit, ut *virtus*; bonum CORPORIS, quod corpus, ut *sanitas*; et EXTERNUM, seu FORTVNAE, quod statum externum perfectum reddit, ut *honor*, *opes*. Bonum item dicunt esse, vel POSITIVVM, vel PRIVATIVVM, prout perfectiones affert, vel imperfectiones avertit, et propulsat. Sed de his in moralibus agemus.

292. Quum autem ideae nostrae sint, vel singulares, vel universales (§. 32. * *Log.*), quarum illae sensu, hae intellectu, et abstrahendi arte, adquiruntur (§. 36. *Log.*); ex ideis vero boni, vel mali voluptas, vel taedium oriatur (§. 290.): consequens est ut voluptas ex idea boni confusa, sive sensuali exorta SENSVALIS quoque dicatur; ut & illa, quae ab idea boni distincta, seu intellectuali procedit, MENTALIS *.

* Et quoniam opposita de taedio enunciari debent (§. 284. *), quae de voluptate hic dicta sunt, contraria ratione de taedio enunciata intelligantur.

Appetitus & aversio.

293. APPETITIO est *animae nisus, sive conatus * versus bonum iam agnitum*; AVERSATIO vero est *nisus, sive conatus ma-*

malum iam cognitum depellendi *. Facultas appetendi APPETITVS ; aversandi, AVERSIO nuncupatur **.

* Quidam utuntur voce *inclinationis*, ut et in aversatione *reclinationis*. Sed quum vocabula haec sint metaphorica, nullum in definitione locum habere debent (§. 51. *Log.*).

** E. g. Offeruntur aegro duo pocula, medicinae unum ad recuperandam sanitatem idoneae; veneni alterum destruendae vitae apti. Nisum ille sentit versus medicinam tamquam bonum cognitam, illamque adpetit; et adversus venenum sibi, tamquam malum, repraesentatum, illudque aversatur, idest, illud a se depellere conatur.

*** Appetitum aliqui voluntatem appellant, sed falso; alias enim bruta appetitu sensitivo tantum instructa, etiam voluntate gauderent. Nec placet Wolfii sententia, qui *voluntatis* nomen appetitui rationali tribuit: infra namque abunde patebit, rationalem appetitum a voluntate toto coelo diversum esse. Vnde alium esse dicimus appetitum sensitivum, alium rationalem, aliud vero voluntatem.

294. Quoniam appetitio, & aversatio boni, malique repraesentationem sequuntur (§. 293.); haec vero voluptatem, taediumve producit (§. 290.): liquet 1. omnem adpetitionem cum voluptate; aversationem cum taedio esse coniunctam, adeoque 2. suos aeque habere gradus (§. 291.), maioresque fieri, ac vehementiores, quo plura bona, vel mala vividius percipiuntur. Inde fluit 3. nihil nos adpetere, nisi sub ratione boni; nihil contra aversari, nisi sub ratione mali *.

* Haec

* Haec regula dicitur a Philosophis LEX APPETITVS ex antecedentibus notionibus aperto deducta, ac experientia ipsa firmata, cuius explicatio haec est: nihil a nobis adpeti posse, nisi prius id, tanquam bonum, perceperimus; nec quidquam nos aversari, nisi tamquam malum nobis repraesentaverimus. Ratio namque sufficiens appetitus, vel aversionis in boni, malive repraesentatione sita est (§. 293.).

295. Repraesentationes boni, aut mali appetitum, vel aversionem moventes, MOTIVA vulgo dicuntur *. Vnde patet 4. nihil nos adpetere, vel aversari posse sine motivis. Quumque repraesentationes illae confusae, vel distinctae esse possint (§. 292.); quarum illae sensuales, hae intellectuales dicuntur (§. *eod.*); recte colligitur 5. appetitum perinde, ac aversionem recte in sensitivum, et rationalem dispesci debere.

* Motivum ergo in aegro medicinam adpetente est repraesentatio sanitatis, cuius receptionem medicinae potu sibi pollicetur.

296. APPETITVS SENSITIVVS est, *qui oritur ex idea boni confusa*: AVERSIO SENSITIVA, *quae nascitur ex idea mali confusa* *. Et quia confusae ideae sensibus, et imaginationi debentur **; iure colligitur 6. hunc appetitum ferri ad ea, quae sensus demulcent; aversionem vero ab iis, a quibus sensus abhorrent; ideoque 7. vehementiorem fieri, quo plures, quoque vividiores fuerint eiusmodi confu-

sae

sae repraesentationes, id est, quo intensior est voluptas sensualis, vel taedium; 8. vehementius etiam adpeti, vel in aversionem cadere id, quod crebrius cum voluptate, vel taedio perceptum fuit ***.

* Hinc est, ut de huiusmodi adpetitionibus, vel aversationibus rationem reddere nequeamus: ex confusa namque boni, malique repraesentatione oriuntur, cuius criterium est impotentia cum aliis eam communicandi (§. 24. *Log.*).

** Sensus enim res exhibent singulares innumeris determinationibus involutas; phantasia vero easdem absentes, in quibus solus intellectus notas discernit, quibus distinctae ideae constant, ut infra dicemus. Sensus ergo, et phantasia nullas ex se ideas distinctas; sed eas admodum confusas in nobis producere valent.

*** Vides ebrium, qui saepius vini dulcedinem sensit, vinum vehementissime adpetere usque adeo, ut ne timore quidem mortis ab eo se distrahi sinat, suique prorsus impos evadat.

297. CONSENSVS APPETITIONVM est *uniformitas inter appetitum sensitivum, et rationalem* *: PVGNA vero earum est *dissensus appetitus rationalis a sensitivo* **.

* Sic in cibi potusque adpetitione consensus adest, quia quum sensus ea, tamquam bona, confuse repraesentat, unde voluptas sensualis oritur, et appetitus movetur, intellectus tamquam utilia distincte exhibet, et adpetitum rationalem excitat. Ambo igitur consentiunt, nempe ad eumdem finem conspirant.

** E. g. Aegro medicina offertur: eam sensus respuit, ut ingratam; ratio probat, ut sanita-

ti.

ti utilem. Ex hoc oritur appetitus rationalis, ex illo aversio sensitiva: atque hinc dicitur *pugna appetitionum*, quia ad diversos fines ambo conspirant, et inter se dissentiunt: ut adeo si sensus vincat, ratio cedat, evenit, ut meliora videntes probemus, deteriora sequamur.

SECTIO III.

De affectibus.

298. AFFECTUS est *vehementior actus appetitus, vel aversionis sensitivae cum extraordinaria sanguinis, fluorisque nervosi commotione in corpore coniunctus* *.

* Idque ex lege commercii demonstratur: nam anima extra ordinem adfecta, vehementior fluori nervoso motus imprimitur, qui maiorem in musculis fibrisque producit irritationem; maior etiam fluidis, et extraordinaria commotio accedit, quo fit, ut nullus affectus ab huiusmodi commotionibus sit seiunctus, nec umquam a sagacissimo quoque celari possit. Evidentissimum prae ceteris exemplum habes in irato, de quo Seneca *de ira Lib. I. cap. 1. Flagrant*, ait, *et micant oculi, multus in ore toto rubor, exaestuante ex imis praecordiis sanguine. Labia quatiuntur, dentes comprimuntur. horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens; articulorum se ipsos contorquentium sonus, gemitus, mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo praeruptus, et complosae saepius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens. Foeda visu, et horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme.*

299. Ex qua definitione fluit 1. ut ad ex-

excitandum affectum requiratur vividissima repraesentatio plurium, magnorumque bonorum, vel malorum in nobis ope sensuum, et phantasiae facta, 2. ut res indifferentes nullum in nobis affectum moveant (§. 289.), 3. ut quicumque affectus necessario cum voluptate, vel taedio, vel utroque simul coniunctus esse debeat *; adeoque 4. ut affectus merito dividantur in GRATOS, qui voluptatem; INGRATOS, qui taedium, sive molestiam; et MIXTOS, qui utrumque simul habent adiunctum **.

* Affectus enim est actus vehementior appetitus, vel aversionis sensitivae (§. 289.); porro appetitum voluptas, aversionem taedium comitantur (§. 296.): affectus ergo sine voluptate, vel taedio esse nequit. Sed quum hae duae animae modificationes medium admittant, simulque stare possint (§. 283. **): non opus est, ut alterutra adsit, sed utraque simul cum adfectu coniungi potest.

** Sic *gaudium*, *laetitia* adfectus grati sunt; *tristitia*, *metus*, ingrati; *amor* denique mixtus, quippe qui iucunditatis multum, taedii vero plurimum habet admixtum.

300. Quia vero affectus cum extraordinaria sanguinis, fluorisque nervosi commotione coniungitur (§. 298.), qui mutationes in toto corpore producunt (§. eod. *): liquet 5. multos esse affectuum in corpore effectus, eosque ore, gestibus, aliisque motibus patefieri *; atque adeo 6. hasce mutationes recte pro signis affectuum haberi;

uas

unde 7. eos vel raro, vel numquam occultari posse.

* Quum ergo affectuum humanorum affectus evolvemus, hos illorum signa esse, quisque sciat et si de signis sermo erit, ea pro illorum effectibus accipienda sunt.

301. Quoniam autem homo naturali quodam, internoque impulsu bonum appetit; malumque aversatur (§. 294.), et ex vehementibus appetitus sensitivi motibus affectus oriuntur (§. 298.); bonum vero non adpeteret, nec malum aversaretur, nisi seipsum amaret, nempe suam felicitatem avidissime cuperet: consequens est 8. ut adsit in homine omnium adfectuum veluti fons et origo, a quo omnes originem ducunt; 9. eumque nihil aliud esse, nisi amorem nimium, quo semetipsum prosequitur. Hinc, ut ordinis rigorem observemus, de hoc prius, deinde de adfectuum speciebus verba faciemus.

Affectuum fons et origo.

302. AMOR PROPRIVS, *amor sui ipsius*, φιλαυτια, est *vehemens appetitio propriae felicitatis* * Per FELICITATEM, sive *beatitudinem* intelligimus *summi boni possessionem* **. Dicitur *autem* SVMMVM BONVM, *quod omnium est praestantissimum, quodque et intensitate sua cetera bona superat, et omnia simul in se continet,* *ita*

ita ut ab homine possessum perfectam animi tranquillitatem ei conciliet ***.

* Atque adeo vehemens aversatio propriae infelicitatis, nempe summi mali, sive complexus omnium malorum. Hinc vides, in amore proprio contineri voluptatem, et taedium, eumque adeo esse omnium affectuum fontem, quia omnes hi voluptate, vel taedio consociati (§. 299.) sui rationem in eo habent sufficientem, ut infra videbimus.

** Quia vero bona cum voluptate sunt coniuncta (§. 290.), et quidem durabili, si vera sunt (§. *eod.*): patet ratio, cur felicitas multimodis a multis sit definita, ut alii eam *durabilis gaudii statum*, alii *voluptatum omnium aggregatum*, alii denique *voluptatem permanentem* appellaverint.

*** Et quidem, quum sit summum, omnem hominis appetitum explere debet, eique perfectam parere animi tranquillitatem ab omnimoda abundantia, et satietate pendentem. Hoc vero unicum humanae voluntatis obiectum esse Deum O. M., in Teologia Naturali, et philosophia practica demonstrabitur. Homo tamen felicitatem suam vehementissime adpetit, ad eamque naturali quodam instinctu veluti trahitur, licet quae sit non videat, nec, nisi ratione, et Relligione duce, eam agnoscat. Et si quando sensu, et phantasia a ratione abducatur, ubique suam querit felicitatem, quam in sensualibus voluptatibus non inveniens, ab una in aliam transit, nec usquam anima voti sui compos evadit, ut adeo vacuum aliquod in se reperiri sentiat.

303. Quoniam igitur homo natura sua felicitatem propriam vehementissime adpetit, quae in summi boni possessione consistit (§. 302.); naturae vero Auctor, quip-

quippe ens necessarium, et perfectissimum, (§. 197.) nihil frustra agit (§. 203.): consequens est 1. ut naturalis haec hominis adpetitio inanis esse nequeat; adeoque 2. primus summi boni character sit possibilitas consequutionis *.

* Summum ergo bonum ita comparatum esse debet, ut ab hominibus media non negligentibus obtineri possit. Nam si obtentu impossibile foret, desiderium hominis inane evaderet, adeoque Naturae supremus Auctor frustra egisset.

304. Quia vero summum bonum est omnium praestantissimum (§. 302.); bonum autem hominem perficere debet (§. 289.): sequitur 3. ut summum bonum homini veram, completamque perfectionem conciliare debeat. Et quia homo non in mortali corpore, sed in anima aeternum duratura praecise consistit: liquet 4. summum bonum veram animae perfectionem producere *, ac proinde 5. alterum eius criterium esse, ut animam in omnibus suis facultatibus perficiat **.

* Falso ergo Aristippus, Epicurus, ceterique huius gregis Materialistae summum bonum in bonis, et voluptatibus corporis constituunt: corpus enim mortale nullam durabilem voluptatem habere potest, nec ullo sensu gaudere, nisi cum anima sit copulatum: homo igitur praecise in anima consistit, eique, ut parti nobiliori, in qua hominis EGO reponitur, perfectionem summum bonum conciliare debet.

** Et quidem quum anima humana intelle-

ctu,

ctu, ratione, voluntate, ac libertate praedita sit, eam in omnibus suis facultatibus a summo bono perfici debere, quisque videt, ut intellectus verum agnoscat, ratio recte iudicet, rationesque conficiat, voluntas verum bonum amet, ac eligat; anima vero in veram libertatem vindicetur, unde omnes affectus rationis imperio subiiciens, nullis ea cupiditatibus inserviat, suique domina omnium actionum suarum arbitrium adquirat.

305. Rursus, quoniam summum bonum est unicum humanae adpetitionis obiectum (§. 302. *not.* 3.), omniaque hominis desideria explet, quia omnia bona superat, et in se continet (§. *eod.*) recte colligitur 6. id esse finem hominis ultimum; adeoque 7. tertium eiusdem characterem esse, ut propter se, non propter aliud bonum superius, adpetatur, nec aliud bonum eo praestantius inveniri possit *.

* Si namque aliud eo excellentius adsit, summum bonum dici nequit. Vnde falluntur, qui id in virtute constituunt. Plotin. *Ennead. I. Lib. IV. qu.* 10., vel in operatione secundum virtutem. Aristotel. *Magnor. Moral. cap.* 3. Nam etsi virtus excellens bonum sit, non autem talis est, ut bonum aliud ea praestantius inveniri nequeat.

306. Demum, quia summi boni possessio felicitas hominis est (§. 302); eius vero amissio maxima infelicitas (§. *eod.**): infertur 8. id permanens esse debere, atque extra omnem iacturae aleam constitutum; ac proinde 9 postremum summi boni notam esse, ut semel possessum amitti nequeat *.

* Si namque amittendi periculum, vel timor adsit, mens affectibus agitata quiescere non poterit, unde nullam animi tranquillitatem, voluptatemque durabilem producet. Hac ratione bona transitoria, veluti sanitas, opes, dignitates, imperia, omniaque voluptatem transitoriam producentia, summum bonum dici nequeunt, ut satius in ipsis praelectionibus ostendemus.

307. Porro amor proprius vel ORDINATVS est, qui cor humanum divinis, humanisque legibus, principiis vero Religionis, ac honestatis subiicit*; vel INORDINATVS, qui excusso legum, atque honestatis fraeno, cor humanum suis effraenatis tradit adpetitionibus. Ex illo virtutes; ex hoc vitia proficiscuntur. Ille affectus ordinatos, sive appetitiones, aversionesque rationales, quae *affectus per analogiam* dici solent; hic effraenatas, inordinatasque parit cupiditates, sive affectus noxios: adeoque ille hominem ad veram perfectionem per ideas boni, malique distinctas; hic per easdem confusas ad imperfectionem, infelicitatemque trahit.

* Amor hic Regium Vatem per viam praeceptorum Dei manuducebat, dum ad aeternam retributionem prospiciebat, ut ipse fatetur *Psal. CXVIII. v. 112.* Spes quidem futurae retributionis ipsum in benefaciendo alliciens erat amor proprius ordinatus, summum bonum iam cognitum, quod maxime amabat, possidere cupiens.

308. Hinc ergo patet, amorem proprium esse principium morale genericum omnium affectuum *, ex quo cuncti, veluti propa-

gi-

gines, derivantur, etiam ii, qui tutius ignorantur, quam addiscuntur, quosque silentio praetereundos satius arbitramur.

* Amor hic igitur, quasi centrum, omnia entia in activitatis suae sphaera constituta ad se refert, sua vero ubique commoda promovere studet: unde ab eo actiones illustres, facta heroica, virtutes eximiae; nedum vitia, actiones turpes, atque extra aleam vagantes prodeunt, ut cuique attendenti manifestum est, et fusius coram ostendemus.

Affectus primigenii.

309. His praemissis, ad effectuum genera transeamus. Eorum, ut diximus, alii sunt PRIMIGENII, sive ORIGINARII, qui immediate ab amore proprio procedunt, aliorumque sunt quasi stipites; alii DERIVATIVI, qui a primigeniis originem suam repetunt, quique mediate ab amore proprio descendunt. Primigenii porro sunt *gaudium*, et *tristitia*.

310. GAVDIVM est *voluptas insignior, sive voluptatis praedominium* * (§. 286.). Eius species sunt LAETITIA, quae est *gaudium ob malum finitum* **, et HILARITAS nempe *gaudium ob mali metum iam elapsum*. TRISTITIA contra est *taedii praedominium* (§. eod.), sive *taedium vehementius* ***. Ex quo patet, gaudium aeque, ac tristitiam ab amore proprio oriri: continent enim voluptatem, taediumque praedominans, adeoque illum suppo-

 nunt,

nunt, scilicet, appetitum vehementem propriae perfectionis.

* E. g. Alexander cum Persis tot annos bella gessit, non sine summo labore, vigiliis, et incommodis. Tandem eos vicit. Tunc in Alexandro insignior voluptatis gradus ortus fuit, nempe gaudium. Nonne hic affectus ab amore proprio procedit? Si namque Alexander seipsum, et gloriam suam non amasset; numquam tot labores ac pericula adiisset.

** Sic Justinus Alexandrum, audita morte aemulorum Regum, quos timebat, Aegidis Spartanorum, et Alexandri Epirotarum, laetatum fuisse scribit. *Lib. XII. cap. 1. n. 5.*

*** Id clarius fiet exemplo. Albanos in patriae ruina tristitia occupavit, hoc est, iis taedium praedominans supervenit. Ratio sufficiens erat bonorum amissio, coeli mutatio, transitus a propria urbe in alienam, exulum, non civium figuram praeseferendo. Liv. *Lib. I. cap.* 12. Numquid non amor proprius se gradu suo deiici, hostiumque contemtui exponi aegre ferens, huius tristitiae caussa fuit?

311. Ex quibus definitionibus abunde colligitur 1. animam horum affectuum aliquo agitatam adfectiones contrarias non sentire; id enim importat praedominium (§.286.*); adeoque 2. ad ea requiri vividissimam bonorum, malorumve plurimorum, et magnorum repraesentationem (§. *eod.*); 3. patet inde gaudii caussam esse magni alicuius boni supervenientiam, tristitiae vero mali *.

* Et quidem, si bonum, vel malum verum sit,

sit, gaudium, aut tristitia vera, et durabilia erunt; sin adparens, transitoria, ac proinde falsa; id quod intelligere vult Davus apud Ter. *Andr. l. 2. v. 6.*

Id voluit, nos sic nec opinanteis duci falso gaudio.

312. Gaudii porro effectus, et signa sunt celerior sanguinis circulatio *, risus **, manuum complosio ***, exultatio ****, oculi vividi et hilares, amor multitudinis, vel sodalitatis, ut felicitas; qua se frui credit anima, facillime aliis narrari possit *****.

* Hinc gaudium ob filium a bello redivivum, matri mortem attulisse, scribit Livius *Lib. XXII. cap. 7.*

** Risum Epictetus vocat *quamdam laetantis animi ebullitionem. Enchirid. cap. 43.*: unde risus pro gaudio saepe accipitur. Horat. *Serm. III. 3. v. 72.*

*** Sic apud Virg. *Aen. I. 747.*
Ingeminant plausum Tyrii . . . .

**** Cicero *ad Fam. XVI. 16.*

**** Vid. Cic. *de Amicit. cap. 24.*, Svet. *in Caes. cap. 22.* Terent. *Eunuch. III. 5. v. 2.*

Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? . . .
Sed neminem ne curiosum intervenire nunc mihi,
Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enecet.
Quid gestiam, aut quid laetus sim, quo pergam, unde emergam ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim, anne insaniam?

313. Signa tristitiae sunt lacrimae, et fletus *, oculi languidi, et humo adfixi, pal-

pallor in facie, in corpore ac omnibus membris tremor, querimoniae, solitudinis amor **, omnis consolationis, ac voluptatis aversio ***.

* Hoc indicio filii tristitiam Simo compererat apud Ter. *Andr. I.* 1. *v.* 98.
At, at! hoc illud est, hinc illae lacrimae . . .

** Ter. *Eunuch. IV.* 2. *v.* 1. Bene Martialis *Lib. I. Ille dolet vere, qui sine teste dolet.*

*** Mirifice tristitiae characteres exprimit Terentius *Heaut. I.* 1.

Affectus derivativi.

314. Omnes alii affectus gaudium; vel tristitiam continent a peculiaribus caussis procedentem, quos singillatim recensebimus. Eorum primi, et praecipui sunt *amor*, *et odium*. AMOR est *gaudium ex alterius felicitate perceptum*. Eius caussa est alterius perfectio, vel quidquid in altero nobis arridens observatur, quodque PVLCHRVM nominatur; signa vero cursus sanguinis perturbatus, fluorisque nervosi motus vehementior, absurda, et ridicula de obiecto amato iudicia *, ardens illius possidendi desiderium, mentis impotentia **, suspiria frequentiora, oculi micantes, gestus ridiculi, et indecori ***, suspicio, lacrimae, bellum, pax rursum ****.

* Vid Lucret. *de Nat. rer. IV. v.* 1145.

** Ea de re amor homines caecos efficere, et a Poetis Cupido velatis oculis esse, dicitur. Argumento sit Didonis sententia apud Virg. *Aen. IV. 595.* *Quid loquor? aut ubi sum? quae mentem insania mutat?*

*** Hinc est, ut affectus hic occultari nequeat. *Quis enim bene celat amorem?* ait Ovidius *Ep.* 12.

**** Eleganter has fere contradictoria amoris notas enumerat Terentius *Heunuch. I.* 1. *v.* 14.

315. Quoniam ergo amor est gaudium ob alterius felicitatem (§. 314.); hoc vero, utpote voluptas praedominans (§. 130.), bonum supponit (§. 311.), & appetitum ciet (§. 294.): sequitur 1. ut amor oriatur ex repraesentatione boni nobis arridentis in altero observati, 2. hunc affectum eo vehementiorem esse, patet, quo vividior est boni illius repraesentatio, item 3. quo plura bona in altero videmus, 4. appetitum etiam alterius felicitatem promovendi producere, 5. amantem ex alterius infelicitate taedio adfici, adeoque 6. id omne, quod alteri taedium creare potest, sedulo vitare *.

* Atque hoc est praecipuum amoris signum, nempe sollicitudo id omne faciendi, quod obiectum amatum voluptate perfundere, eiusque felicitatem promovere: vitandi vero quidquid ei taedium creare possit.

316. Amoris porro obiectum ordinario sunt filii *, parentes **, coniuges ***, consanguinei, amici ****, patria †, bene-

factores ††, item honores, divitiae, voluptates, cetera, prout amor proprius quemque ducit †††.

* Filiorum amor omnium maximus est, si inhumanos, efferosque homines excipiamus, qui omnem humanitatem exuentes, vel libidine obcaecati ferae potius, quam homines, dici deberent. Hinc vulgati illius problematis, *amor descendit, non ascendit*, solutio ab amore proprio peti debet. Eius enim propositionis ratio est, quia filii sunt patris veluti imagines post eius obitum superfuturae, eiusque memoriam servaturae, ac veluti serae senectutis baculus, patris olim facturi felicitatem: unde pater seipsum in filiis amat. Praeterea filii societatem, licet parvam, componunt, in qua ipse, veluti princeps, clavum tenet: et quia amor proprius aliis dominari cupit, ideo dominii sui subiectum, et obiectum pater in filiis amat; et hinc est, ut amor descendat. Non ascendit autem: nam filii dulcem in patre dominum, sed tamen dominum, experiuntur, ideoque subiectionis idea amorem veluti obtundit, nec adeo vividiorem facit. Plus ergo pater filios, quam filii patrem amant, quia amor proprius illum magis, quam hos, ad amorem allicit.

** Filii parentes amant, ut suae exsistentiae caussam immediatam, ut benefactores, ut necessarios amicos numquam sibi defuturos, utque gloriae suae, honoris, fortunae consortes.

*** Nimirum coniugum alter alterum amat, ut omnis vitae consortem, ut amicum indissolubilem, omniumque voluptatum suarum obiectum, eum vero amorem sibi mutuo praebent gradibus propriae sensibilitatis proportionalem: quae omnia, veluti tot motiva sunt amorem proprium excitantia.

**** Amor consanguineorum semper est in ratione inversa graduum, quibus a communi stipite distant, ita ut propinquiores magis, longinquio-

quiores minus amentur, prout magis minusve amorem proprium alliciunt. Hinc facile solvi possunt problemata; *cur magis amicos, quam consanguineos, diligamus? cur contra horum potius, quam illorum commoda promoveamus?* In amico namque nostram amamus electionem, morum similitudinem, et voluptatem, quam ex amicitia percipimus: quum contra consanguineorum necessitudo, non ab electione, sed a necessitate pendeat, ac proinde amor quodammodo coactus videatur, non voluntarius, id quod amorem proprium offendit. E contrario propinquos in comparandis bonis adiuvantes, eorum commoda promoventes, familiam, nomen, domum, cuius partem cum ipsis efformamus, decorare studemus, adeoque in ipsis bona nostra promovemus, quod aliter in amico se habet. Dantur tamen et hic exceptiones, quas coram perpendemus.

† Quisnam autem ignorat, quemque patriae suae membrum, et partem esse? Patriae decus, gloria, commodum quodammodo nostrum est. Hinc patriam amantes nosmetipsos amamus. Romani patriae amorem ideo filiis inculcabant, quia eam tuentes propriam libertatem, domum, liberos, divina humanaque omnia ad se pertinentia defendebant. Idque vel ex eo patet, quod libera Republica intensius patriam amabant, et pro ea pugnabant, quam sub Regibus, vel Imperatoribus, quia in primo casu amor proprius illa dominii larva illusus magis alliciebatur, quam in altero.

†† Eaque amoris species ANIMVS GRATVS, vel GRATITVDO dicitur. Benefactores autem ideo amamus, quia beneficiis suis amorem proprium in nobis allexerunt: ita ut saepe inveniantur homines, qui omnia sibi desieri praesumentes, eo quod animi grati specie propriam magnitudinem offendi credunt, benefactores oderunt, quorum adspectus suae ingratitudinis accusator amorem proprium adeo laedit, ut satius esse putent ab illius oculis latere. Benefactores contra in iis, de quibus benemeriti sunt, propria beneficia dili-

 gunt,

gunt, quamvis ingratos esse senserint: maximum enim amori proprio solamen est, beneficia conferre, eaque ingratis exprobrare.

††† Hinc vulgatum illud: *trahit sua quemque voluptas*. Id vero ita se habere, nemo ibit inficias. Dubitari posset, an in hunc censum referenda sit SYMPATHIA, sive naturalis quaedam dilectio personae alicuius ignotae, cuius rationem ignoramus, et FAVOR, nempe amor praelationis, quo unius felicitatem magis, quam aliorum, promovere studemus. Sed hic perinde, ac illa, amoris proprii filii sunt. In ignoto namque, ac praedilecto semper aliquod nobis arridet; quare in his nostram voluptatem amamus. Idem contraria ratione dicendum de ANTIPATHIA, sive aversione naturali, de qua Martialis:

Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare.
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

316. Amori opponitur ODIVM, scilicet *gaudium ex alterius infelicitate perceptum*. De hoc ideo, quae de amore diximus, (§. 314.) contraria ratione sunt intelligenda. Hinc est; ut odii caussa sit quodcumque amorem proprium maxime laedit; effectus vero, alterius felicitatem velle destructam, et infelicitatem totis viribus, omnique conatu promovere; signa demum, oculi torvi, truces, atque humi fixi *, color pallidus, ira et rixae **, vindictae cupiditas ***; et obiecti perosi fuga ****.

* Id de Didone Aeneam odio prosequente affirmat Virgilius *Aen. VI.* 467.
Talibus Aeneas ardentem, & torva tuentem.
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat.

** Hinc

** Hinc odium *iram inveteratam* vocat Cicero *Tuscul. quaest. Lib. IV. cap. 9.*

*** Numitor fratrem Amulium, a quo regno orbatus fuerat, oderat: vindictam, quam cupiebat, maturavit, ac tandem obtinuit. Liv. *Lib. I. cap. 3.*

**** Sic Dido, ut odium, quo Aeneam prosequebatur, ostenderet:
Tandem proripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum. Virg. *Aen. VI.* 472.

317. Ab amore oritur COMMISERATIO, quae est *tristitia ob alterius infelicitatem* *. Vnde patet, caussam commiserationis esse amorem, quo alterum prosequimur, eiusque infelicitatem **; effectum autem lacrimas, studiumque infelicem a miseria, in qua reperitur, liberandi ***.

* Eam Cicero definit per *aegritudinem ex miseria alterius iniuria laborantis. Tuscul. quaest. Lib. IV. cap.* 8. Sed si miserum amemus, etiamsi merito patiatur, in nobis tamen commiseratio supervenit. Quae vero ad conciliandam cum nostra Ciceronianam definitionem dici possent, coram adferemus.

** Quum enim amans ex alterius infelicitate taedium concipiat (§. 312.): recte colligitur, commiserationem locum non habere ubi amor, et infelicitas alterius absit.

*** Tristitia quidem lacrimas habet comites (§. 313.): amor autem studium alterius commoda promovendi producit (§. 315.): in commiseratione igitur utrumque adesse debere, quisque videt; ita ut si ab ea sollicitudo iuvandi seiuncta sit, *pietas inutilis* recte dicatur, nempe falsa commiseratio. Ita Aeneas apud Virg. *Aen. VI.* 470. Didonis casum miseratus, lacrimas fudit:

Nec minus Aeneas casu perculsus iniquo
Prosequitur lacrimans, & miseratus euntem est.

Idem visa Priami caede, patris Anchisae vices commiseratus, ad eum cum tota domo liberandum cito cucurrit. *Aen. II. 560. seqq.*

318. Vt commiseratio amoris (§. 317.), ita & odii filia est INVIDIA, id est *tristitia ex alterius felicitate percepta* *. Vnde patet, invidiam cum studio nocendi esse coniunctam (§. 316.): nam eius caussa efficiens est odium, quod de infelicitate gaudens (§. *eod.*), felicitatis taedet. Quum autem obtrectatio famae noceat, ut experientia docet: hinc est, ut invidi sint pessimi obtrectatores **.

* Hinc pallor, et macies in toto corpore; oculi lividi, risus absentia, nulla requies invidentis animum misere excruciant, id quod eleganter expressit Ovidius *Metam. l. 2. v. 762.*, qui invidiam, ait, *vipereis vesci carnibus*. Inde Horatius *l. Ep. 2.*

Invidus alterius rebus macrescit opimis. Et alibi.
Invidia Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Ibid. v. 58.

** Indissolubilis namque invidiae comes est maledicentia, et obtrectatio, idque ob eam rationem, quod invidus propriae existimationis amore aestuans, id omne gloriae suae detractum credit, quod de aliis praedicatur: unde iis maledicit, putans, quidquid aliis tollitur sibi addi: ut de Alexandro Antipatrum contemnente scribit Curtius *VI. cap. 1. 18.*, et Terentius *Eunuch. III. 2. 20.*

. . . . *Invidere omnes mihi:*
Mordere clanculum . . . .

319. Odii porro, & invidiae quasi produ-

ductum est IRRISIO *, scilicet *gaudium ex eo perceptum, quod alterius famae obesse videtur* **. Huius affectus signa sunt adeo pervia, & in propatulo, ut verbum de his addere sit tempus terere.

* Sic dicta *a risu*, quem persaepe movent absurda et ridicula eloquia, cogitata, vel actiones, quae proinde dici possunt irrisionis caussae. Si porro risum comitentur gestus contemtum indicantes, CACHINNUS. Horatius de Porcio:
Ridiculus tota simul absorbere placentas. *II. Sat.* 8. 24.
Idem de Gallis ad Romanorum petitionem, ne Poenis transitum in Italiam darent, ridentibus narrat Livius *Lib. XXI. cap.* 20.: *nam adeo stolida, impudensque postulatio visa est, censere, ne ita Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id avertere in se, agrosque suos pro alienis populandos obiicere*.

** Hinc irrisio *pudorem* in altero excitat, et si longius protrahatur, *iram*, de quibus paullo post. Solent autem irrideri naturae, vel sui, vel fortunae defectu laborantes, vel qui opus coeperunt, quod ad calcem perducere non potuerunt: haec omnia namque alterius famam vel laedunt, vel laedere vulgo putantur, unde gaudium iis, qui eum oderunt, eiusque famae invident, enascitur.

320. ADQUIESCENTIA *in seipso* est *gaudium ex bono actionum nostrarum successu perceptum* *: Ei opposita, est POENITENTIA, hoc est, *tristitia ex malo a nobis patrato proveniens* **. Quorum affectuum caussa est conscientia boni, malive in actionibus nostris elucentis; effectus vero animi tranquillitas, vel inquietudo.

* E.

* E. g. Artifex opus incoeptum perficit, atque in eo se bene egisse cognoscit: is in se ipso adquiescit, nempe gaudio perfunditur. Notandum autem, hunc affectum in solo agentis iudicio situm esse, quum scilicet agens se boni quid egisse iudicat, nihil respiciens ad iudicium aliorum, tunc enim alius adhuc affectus orietur, de quo mox. Quod si gaudium inde perceptum sit insignius, alius inde nascetur affectus, quem vulgo vitiosam φιλαυτίαν appellant, nos IACTANTIAM dicere solemus.

** Poenitentiae exemplum habes in Alexandro de Cliti caede poenitentia ducto, de quo Iustinus: *Postquam*, ait, *satiatus caede animus conquievit, & in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti coepit . . . . Eodem igitur furore in poenitentiam, quo pridem in iram versus, mori voluit. Primum in fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera tractare, & quasi audienti confiteri dementiam, arreptum telum in se vertit: peregissetque facinus, nisi amici intervenissent. Lib. XII. cap. 6. n. 5.* Ex quo Historici contextu poenitentiae characteres, et effectus erui possunt. Hic tamen de poenitentia tantum philosophice loquimur: nam de Poenitentiae virtute, et Sacramento non nostrum est agere, sed Theologorum.

321. Si vero gaudium ex honorifico aliorum de actionibus nostris iudicio oriatur, exsurgit GLORIA *, quae vera, & genuina est amoris propri filia, nam hic alte de se iudicans, omniaque bona optans, ob famae suae augmentum maxime sibi placet, & gaudio perfunditur. Quum ergo huic bona aliorum iudicia placeant: hinc est, ut gloria per frequentes de se, suisque actionibus interrogationes, ac cre-

briora de iis eloquia, per nullam lucri spem, arduarum vero rerum adgressionem **, sese exserat.

* *Est autem gloria*, ait Cicero, *laus recte factorum, magnorumque in rempublicam meritorum, quae cum optimi cuiusque, tum ipsius etiam multitudinis testimonio comprobatur*. *Philipp. I.* 12. Videatur etiam Plinius *Lib. IX. IX. ep.* 23.

** Id de se pronuntiat Ovidius.
Magnum opus adgredior, sed dat mihi gloria vires.

322. Gloriae opponitur PVDOR, qui est *tristitia ex sinistra aliorum de nobis, factisque nostris opinione exorta* *. Quum enim amor proprius in bonis de se iudiciis maxime sibi placeat (§. 321.): in sinistris contra maxima tristitia perfundi debere, per se patet, atque adeo maiorem esse pudorem, quo acrior est gloriae stimulus **, quoque maius est proprium de honestate iudicium ***.

* Ita Alexander Menelaum fugiens ab Hectore obiurgatur, quod se Danais aeque, ac Teucris imbecillem praebuisset, pudore captus ad certamen rediit. Homer. *Iliad.* I. v. 38. *seqq.*

** Ea de re homines perditissimos, nullamque famae rationem habentes, impudentes appellamus: id quod confirmat Plautus. *Bacch.* III. 3. v. 3.
Hunc tu periisse scias, cui quidem periit pudor.
Alexander omnium maxime gloriae stimulis excitatus, occiso Clito, pudorem sensit, de quo Iustinus: *Accesserat*, ait, *nutricis suae, sororis* *Cli-*

Cliti, *recordatio*; *cuius absentis eum maxime pudebat*, *tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam*, *ut in cuius manibus pueritiam egerat*, *huic iuvenis*, *& victor pro beneficiis funera remitteret*. *Lib. XII. cap. 6. n.* 10.

*** Quum enim non eadem omnibus sint honesta, vel turpia, ut perbelle ait Nepos *in Prooem.* invenies quosdam, qui falso utentes iudicio de inhonestis rebus glorientur, quosque honestarum pudeat. Ter. *Andr. IV.* 1. 13. Plaut. *Epid. II.* 1. 1. Qui ergo proprio amore, et existimatione magis tangitur, pudori maxime subiectus est, quia sinistris aliorum iudiciis amor proprius laeditur, et deprimitur. Vides hinc, quam male de honestate sentiant, quos naturalium, vel fortunae defectuum pudet, ut Caesarem calvitii, Sveton. *in Caesar. cap.* 45., et Clitiphonem paupertatis apud Ter. *Heaut. I.* 2. 54. ubi ait:

Nam nihil esse mihi, *relligio est dicere*.

323. Ex dictis sequitur, pudorem per aliquot indicia in oculos hominum incurrere, veluti per ruborem in facie suffusum *, mentis stuporem **, vultum deiectum, oculos demissos, & humum intuentes, silentium, ac postmodum vocem submissam ***.

* Atque inde est, quod pudor vulgo ERVBESCENTIA vocetur. Notum est Socratis illud: *erubuit*; *salva res est*. Diogenes ruborem vocat *colorem virtutis*, et Seneca: *Vbi se collegit*, ait, *verecundiam*, *bonum in adolescente signum*, *vix potuit excutere*: *adeo illi ex alto suffusus est rubor*. *Ep. XI.*

** Vid. Seneca *loc. cit.* et Ter. *Phorm. I.* 5. 51. *Ita eum tam timidum ibi obstupefecit pudor*.

*** Id de Andromache vices suas post Troiae ex-

excidium Aeneae narrante scribit Virg. *Aen. III. v.* 320.

Deiecit vultum, & demissa voce loquuta est.

324. SPES est *gaudium ob futurum bonum obtento possibile* *. Eius eminentior gradus dicitur FIDVCIA, sive CONFIDENTIA; quae definiri potest per *gaudium ob futurum bonum obtentu facile* **. Quod si bonum sit absens, gaudiumque praegustetur, quod ex eius praesentia perciperetur, ita ut praesens esse mallemus, CVPIDITAS vocatur ***.

* Spes itaque exigit, ut bonum illud futurum sit obtentu possibile: nam si nulla esset eius obtinendi possibilitas, spes quoque nulla foret. Sic Tanaquil animosa Romam petiit, sperans Tarquinium ibi regem fore, utpote in nova urbe, ubi nulla antiqua nobilitas, et ceteri reges peregrini fuerant, Liv. *Lib. I. cap.* 14. Hinc frequens spei allocutio apud Terentium: *bono animo esto.* Quod si quis ea, quae numquam obtinere potest, sperare velit, spes illa dicitur inanis, ridicula, et insipiens. Cicero *de Senect. cap.* 19.: id quod adolescentibus haud raro accidit, magna de se pollicentibus. In spe igitur eminet vultus hilaritas, quod est proprium gaudii signum, sollertia in mediis excogitandis, omnium, quae accidunt, in bonam partem interpretatio, suique ipsius adulatio; quare spes adventu facilis, discessu difficilis esse dicitur.

** Fiducia oritur, si quando plura bona, vel unum magni momenti certo, vel probabilius nos consequuturos indicamus. Hinc ea ex auxiliorum, et praesidiorum praesentia augetur, ut extricatis difficultatibus facilem credamus boni consequutionem. Nepos *Milt. I.*: *Quum ea esset aetate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed & confidere ci-*

cives possent sui, talem futurum, qualem cognitum iudicarunt. Seneca *ep.* 16.: *Iam de te spem habeo, nondum fiduciam*.

*** Tarquinium Priscum Livius *honoris cupidum* appellat *Lib. I. cap.* 14. Haec vero cupiditas erat gaudium praegustatum ex imperio, nempe bono absente, quod tanquam praesens intuebatur, et habere malebat. Hinc cupiditatis caussa proxima est AMBITIO, nempe amor proprius effraenatus in dignitatum honorumque appetitione maxime insaniens: effectus vero, altae cogitationes super bono, quod appetimus, diligentia in mediis inveniendis, ac exsequendis, vultus gravis, et cogitabundus, impudentia in petendo, qualem fuisse Tarquinium scribit Livius idem *loc. cit.*, ac proinde etiam decori neglectus: qui namque impudens est, parum curat, sintne decora media, quae adhibet, an indecora.

325. Si vero in bono sperato mora intercedat, taedium orietur, quod proinde DESIDERIVM appellatur. Quod si taedium ex malo absente, tamquam si praesens esset, praegustetur, FVGA dicitur *.

* Perspicua haec sunt, et usui loquendi conformia, quae nulla indigent demonstratione: ex sui namque, et aliorum observatione, quae de his dicenda forent, facillime eruentur.

326. Spei contrarius est METVS, hoc est, *taedium ex mali futuri eventu possibilis, vel probabilis opinione perceptum* *. Quod si malum imminens sit, & certo, aut saltem probabilius eventurum, tristitia exinde orta dicitur TIMOR **: ut & tristitia nimia ex malo improviso superveniente percepta, TERROR ***: si malum

lum tamquam ingens concipiatur, HORROR ****. Tristitia tandem intolerabilis ex malo imminente inevitabili nata, DESPERATIO vocatur †. Quae omnia amoris proprii adfectiones esse, nemo non videt.

* A metu differt *timor panicus*, sive *ridiculus*, qui est *taedium ex malo futuro improbabili, vel impossibili natum*, cuius rationem reddemus coram. Metum porro consequuntur fuga, suspiciones, cogitationes aliae super alias accumulatae, omnium, quae accidunt, in peiorem partem acceptio, mentisque confusio, ut ita possibilibus det exsistentiam, et umbris corpora. *Vereor omnia, imaginor omnia, quaeque natura metuentium, ea maxime mihi, quae maxime abominor, fingo*: ait Plinius *Lib. VI. ep.* 4.

** Timorem comitantur pallor in facie, tremor in eorpore, cordis palpitatio, saepe etiam eiulatus, caput manibus percussum, cetera huiusmodi, ut de Priamo Hectori timente, eumque, ne cum Achille congrederetur, orante scribit Homerus *Iliad. X. v.* 32. *seqq.*

*** Svetonius Augustum, narrat, Quintilii Vari clade nunciata, adeo territum, ut per multos menses corporis cultum negligens caput saepe foribus illideret, clamitans: *Quintili Vare, legiones redde*. *In Aug. cap.* 2. Huic affectui succedere solet pallor, tremor, dentium crepitus, saepe etiam exanimatio, silentium, et stupor insolitus, si quando gradum adquirat eminentiorem: tunc enim PAVOR dicitur, qualis fuit in Albanis Romam a Tulli Hostilii militibus adductis. Liv. *Lib. I. cap.* 12.

**** Horrorem sensit Darius, viso Zopyro foede lacerato, naribus, labiis, auribusque sponte truncis, ut Assyrios fraude deciperet. Instin. *Lib.*

Lib. I. cap. 10. *n.* 16. Aeneas apud Virg. *Aen. III.* 47. de Polidori caede certior factus, de se ait:

. . . . *Mihi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.

cui deinde pavor successit:

Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupi, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.

† Desperatio est extremus timoris gradus, veluti quum quis hostes in civitatem ingressos videt omnia ferro, flammisque vastantes, nec ullam sibi salutis viam superesse, consilium omne amittit, unaque salus superest, *nullam sperare salutem*. Virg. *Aen. II. v.* 354. Patet, ergo, desperationis effectus, et indicia esse colorem exsanguem, foedos oculos, furorem, et amentiam. Sallust. *de bell. Catil. cap.* 15.: ut saepe desperati de consciscenda sibi morte cogitent.

327. Status animi inter spem metumque pendentis, ut ab uno in aliam continuo, ac vicissim transeat, FLVCTVATIO, vel VACILLATIO ANIMI dici solet *. Ea vero ex mediorum, eorumve electionis, aut exsequutionis ignoratione procedit **. Quod si difficultates, quae boni consequutionem impedire possunt, nostris viribus, mediisque superiores observemus oritur PVSILLANIMITAS; si vero eas inferiores percipiamus, ANIMOSITAS, sive AVDACIA exsurgit ***.

* Pamphilus apud Ter. *Andr. I.* 5. 26. animi sui fluctuationem ostendit his verbis.

. . . . *Sed nunc primum quid exsequar?*

Tot

Tot me impediunt curae, quae meum animum
diverso trahunt.
et rursus . . . . *Hei mihi!*
Incertum est, quid agam . . . . *Ibid. v.* 31.
Qua de re Mysis ait:
Dum in dubio est animus, paullo momento huc
illuc impellitur.

** Et quidem Pamphili fluctuatio ex ignoratione mediorum, quibus nec fidem datam fallere, nec patri displicere posset; vel quia eligere ea nesciebat, vel quia iam cognita exsequi nequibat, vel prudens exsequutio eum latebat.

†* Horum omnium exemplum habes in Romanis Horatiorum, et Curatiorum pugnam spectantibus. Liv. *Lib. I. cap.* 10. Primo congressu inter spem, metumque dubii *fluctuabant*: occisis vero duobus Horatiis, maximam adesse videbant difficultatem, ut victoria sperari posset, ita ut ad servitutem animos praepararent. Fluctuationi ergo successit *pusillanimitas*. Tandem viso Horatio superstite, qui duobus interfectis hostibus, tertium ad singulare vocabat certamen, eumque hilari, erectoque vultu exspectabat, collectis animis, in laetitiam conversi sunt, in quo *animositatem* observare licet.

328. FASTIDIUM est *taedium perceptum ex eo, quod antea voluptatem in nobis creabat*. Quumque, experientia teste, quidquid sensus allicit, continuo usu minus gratum, et tandem ingratum evadat, ut adeo vel parum placeat, vel omnino displiceat: consequens est, ut voluptas sensualis sola duratione in fastidium degeneret *.

* E. g. Cibus, quamvis gratus, si raro sumatur, voluptatem creat; si vero saepius adhibeatur,

tur, taedium. Ideo dicimus, nos rem aliquam fastidire, quum continuo usu voluptas ex re aliqua sensuali percepta in taedium evadit. Si vero fastidii ratio sufficiens quaeratur, dici poterit, consuetudinem efficere, ut res illa, quae primo in nervis mediocrem tensionem producebat, postea relaxationem afferat, unde sensatio ingrata evadit. Rectius tamen dicetur, animam natura sua summum, verumque bonum appetentem, quum primum rem aliquam sensualem adgreditur, summum in ea bonum invenire se credere, quo nusquam reperto, nec naturali expleto desiderio, erroris sui consciam taedium sentire; ac proinde iure a nobis adfirmari, voluptatem sensualem sola duratione in fastidium degenerare.

329. AEMVLATIO, vel ZELOTYPIA est adfectus ex amore, invidia, metuque mixtus: est enim *desiderium vehemens boni alicuius habendi prae altero idem appetente* *. Eam inde sequuntur suspiciones, omnisque amoris, metusque signa (§. 314. 326. *).

* Affectus hic maximas in homine turbas excitat, eumque sibi, aliisque reddit invisum, nedum ad furorem, et insaniam impellit, si ab amore inordinato procedat. Sic ambitiosus socium odit in imperio: avarus in quaestibus: voluptati deditus in boni alicuius apparentis sensum allicientis possessione. Inde fluunt inimicitiae, rixae, homicidia, atque innumera alia mala. Si vero ad virtutem aliquam intellectualem, aut moralem feratur, hominem reddit laboriosum, nullique diligentiae, vel studio parcentem.

330. Omnium tamen affectuum vehementissima est IRA, nempe *tristitia vehemens ob iniuriam* nobis, nostrisve illatam,*

tam, cum odio laedentis, in nobis coorta *. Quumque odium ab animo laedendi non seiungatur, (§. 316.): sequitur, ut irae adiuncta semper sit CVPIDITAS VINDICTAE, idest, malum malo rependendi **. Quod si haec absit, dicitur INDIGNATIO, Facilitas autem ad iram, IRACVNDIA nominatur ***.

* Coriolanus in exilium a Romanis pulsus ira excanduit, Liv. *Lib. II. cap.* 19. et in Volscos se recepit, qui Romam odio prosequentes eo benignius ipsum exceperunt, *quo maior ira in suos eminebat; crebraeque nunc querelae, nunc minae percipiebantur*. Iram hanc incenderat iniuria, quam Coriolanus illatam sibi credebat exilio; adeoque Romanos, a quibus ita affectus fuerat, odio prosequebatur. Minae erant cupiditatis vindictae signa haud incerta. Immo vindictam cepit, quum Volscos ducens Romanis bellum intulit. *Ibid. cap.* 20. Nihil in humano corpore, tot tantosque tumultus excitat, quam ira. Ex ea namque prodit horrenda facies, oculi flagrantes, spiritus stridentes, vox terribilis, cetera, quae recenset Seneca *de ira Lib. I. cap.* 1., ut diximus (§. 298. *), paucisque Ovidius *de Arte Lib. III.*

Ora tument ira: nigrescunt sanguine venae;
Lumina Gorgonio saevius angue micant.

** Iram ideo vocat Cicero *libidinem puniendi eius, qui videatur laesisse iniuria. Tuscul. quaest. Lib. IV. cap.* 21. Numquam ergo vindictae cupiditas ab ira seiungitur.

** Reperiri solet haec in ambitiosis qui nimio amore proprio abrepti, minima quaeque pro magnis habent, et nodum in scirpo quaerentes parvam iniuriam sibi illatam maximum quid iudicant.

331.

331. Ex quo patet, iram intendi, maioremque fieri 1. si iniuria, ut atrox, menti exhibeatur. 2. si plures iniuriae simul concurrant, 3. si occasione praesentis iniuriae, imaginatio praeteritas etiam reproducat, 4. si alii quoque cum ira affectus sint admixti.

332. SERVITVS MORALIS est *animae status, in quo haec affectibus perturbata nullis, nisi confusis sensuum, & phantasiae imaginibus, ad agendum determinatur* *. Vnde sequitur, hominem affectibus abreptum moraliter servum dici debere.

* Qui affectuum impetum in agendo sequitur, nullum rationi relinquit locum, ac proinde nullam servat agendi libertatem. Servus ergo est moralis, quia pravis cupiditatibus famulatur, nec si velit earum fraenum excutere potest, sed necessario, tacente libertate, affectibus obtemperare cogitur. Iure igitur Servator noster, veritatem homines in verum libertatem vindicare, ait, quia animam a cupiditatum tyrannide liberans, ratione utentem, ac in se determinanda dominam, liberamque reddit: *Ioann. VIII.* 32.

CAPVT TERTIVM

De superioribus animae humanae facultatibus.

333. EXcussis facultatibus animae humanae cum belluina communibus, quae partem, ut aiunt, eius inferiorem

rem constituunt, ad superiores ipsi peculiares evolvendas accedamus. Et quia quaeque facultas in cognoscendo aeque, ac volendo consistit, de utraque praesenti capite sermo erit.

SECTIO I.

De facultate cognoscendi superiore.

334. AD facultatem cognoscendi superiorem pertinent ATTENTIO, REFLEXIO, INTELLECTVS, & RATIO, de quibus hic breviter agemus: pauca de habitibus generatim sumtis in calce adiecturi, ne tractationem hanc adeo necessariam, quae nullibi aptiorem locum inveniret, negligere videamur.

Attentio.

335. Animae potentia, qua efficere potest, ut plurium idearum una prae ceteris menti sistatur, eiusque magis conscia sit, nempe clarior fiat, FACVLTAS ATTENDENDI vocatur; ejus vero facultatis exercitium, ATTENTIO *.

* E. g. Plures plantas in viridario consitas vides: inter eas vero mali punici plantam accurate observas, efficisque, ut eius magis conscius sis. Ad mali ergo punici plantam attentionem direxisti.

336. Quum autem, experientia teste, attentionem exercere non possimus, nisi

unam ideam ab aliis menti obversantibus seiunctam consideremus; unum vero ab alio separatum perpendere dicatur *abstrahere* (§. 32. *Log.*): consequens est 1. ut attentio cum abstractione semper sit coniuncta; adeoque 2. una sine alia haberi nequeat; quin & 3. hae duae facultates unum idemque sint. Et quia per attentionem perceptio clarior fit (§. 335. & §. 19. *Log.*); ex ea vero aliae redduntur debiliores (§. 129. *not.* 4.): sequitur 4. ut attentio tantum claritatis uni perceptioni addat, quantum aliis demit; ac proinde 5. eam esse in ratione directa abstractionis*.

* Quo magis enim uni rei attendimus, eo magis eam ab aliis rebus mente separamus, atque abstrahimus, eiusque magis conscii sumus, in quo claritas consistit (§. 18. *Log.*).

337. Ex quo aperto colligitur 6. ideae per se clariori facilius; minus clarae difficilius attendi *; 7. attentione ideas meliores reddi (§. 19. *Log.*). Et quia a diversis hominibus diversa adhibetur attentio: multi namque nullis; quidam vero vel minimis sensationibus ab alicuius rei contemplatione distrahuntur: ** infertur 8. attentionem quoque suos gradus habere.

* Quia ergo phantasmata sensationibus debiliora sunt, haeque prae illis attentionem revocant (§. 267.): ea de re oculos claudere, et solitudinem

nem quaerere solemus, ut commodius phantasmatis attendamus: difficilius enim attentio ad rem aliquam determinatam figitur, quum adsunt sensationes vividiores, vel coexistentes, vel sibi celerrime succedentes.

** Admirabilem quidem Archimedis attentionem fuisse, accepimus, ut qui prius hostilem gladium in se receperit, quam ab attentione ad suos circulos se distrahi sineret. Liv. *Lib. XXV. cap.* 22. Caesarem septem, et si ipse simul scriberet, quatuor diversi argumenti epistolas dictare solitum, ab eius vitae scriptoribus narratur. Exilissima tamen attentio est adolescentibus, qui ludo, puerilitatibus, voluptatibusque intenti, nullam, vel minimam vix ad philosophiae studia adhibent attentionem. Quod si iuvenilibus curis valedicerent, operamque meditationi sedulam navarent: experientia plane, qui sit attentionis fructus, addiscerent.

338 Quoniam vero sensationes, & phantasmata, utpote fortiora, nos ab abstractis intelligibilibusque perceptionibus, quae debiliora sunt, avocare possunt (§. 259.): non abs re deducimus 9. attentionem a sensu, & phantasia mirifice turbari; ideoque 10. attentionem animi solitudine, sodalitatum, multitudinis, spectaculorum fuga, sedulo studio, ac meditatione maxime iuvari.

Reflexio.

339. Quotiescumque attentionem ad singulas ideae alicuius compositae partes successive adhibemus, ut ad illam primum, deinde ad singula eiusdem componentia, tandem ad modum compositionis attentio-

nem dirigamus, in eam REFLECTERE dicimur *. Actio igitur, qua mens ad plures ideae compositae partes attentionem successive dirigit, REFLEXIO nominatur; potentia vero id agendi, *facultas reflectendi*.

* E. g. Horologium tibi oblatum consideras. Eius rotas, elateres, catenulas, axes, fulcra sigillatim observas, et ad singula, nedum ad eorum connexionem sedulo attentionem dirigis. Id quum agis, super horologio illo reflectis,

340. Ex qua definitione patet 1. reflexionem attentione absolvi; adeoque 2. a quibus haec iuvatur, illam augeri (§. 338.), 3. a quibus contra haec turbatur, illam minui (§. 21. *Log.*). At quoniam ope reflexionis ad partiales ideas attendimus (§. 336.); attentione vero claritas adquiritur (§. *eod.*); & ex partium claritate totius distinctio oritur (§. 23. *Log.*): sequitur 4. nos reflexionis auxilio a clara ad distinctam cognitionem intellectu progredi *.

* Eodemque modo, animam ad idearum adaequatarum statum sola reflexione pervenire posse, demonstratur (§. 26. *Log.*). Vnde sine illa mens in statu idearum confusarum, et inadaequatarum oppressa maneret.

341. Quia vero anima, quippe sui conscia (§. 256.), omnes suas actiones, & cogitationes sensu interno percipit (§. *eod.*), earumque claram ideam adquirit, id-

idque sola attentione ad illas fieri potest (§. 336.): consequens est. 5. animam super se ipsa, suisque actionibus reflectere posse *.

* Eoque casu, omnes actus, quos anima sibimet reflectendo elicit, ACTVS REFLEXI a Philosophis appellantur. Hinc eiusdem reflexionis ope res a nobis perceptas comparamus, hoc est, earum identitatem, vel diversitatem; similitudinem, vel dissimilitudinem; aequalitatem rerum, vel inaequalitatem percipimus, et observamus.

Intellectus.

342. INTELLECTVS notionem adeo confusam veteres tradiderunt, ut multi inde haurire possint errores. Quum enim ipsi omnes animae facultates in intellectum, & voluntatem distribuissent, *intellectus* vocabulo etiam inferiorem cognoscendi facultatem indicabant. Ex quo deduci facillime poterat, bruta intellectu praedita esse: id quod omnibus rationibus aperto adversatur, ut infra dicemus. Oportuit ergo huius facultatis ideam paullo distinctiorem dare, ut omni confusione ablata, omnis etiam exularet error. Nos cum recentioribus, sensuque communi per INTELLECTVM intelligimus *facultatem res distincte percipiendi*.

343. Quum igitur anima reflectendi facultate gaudeat (§. 338.), & huius ope distinctas notiones sibi adquirat (§. 340.):

liquet 1. animam hominis facultate res distincte percipiendi gaudere; ac proinde 2. eam intellectu praeditam esse *.

* Haec propositio est adeo vera, ut eam nec ipsi Materialistae impugnare audeant. Ideo ergo homo generatim, et specialiter anima dici solet *ens intelligens*, immò a quibusdam ita definitur: sed hoc agentes omnem definiendi legem negligunt. Nam vel intellectum pro quacunque cognitione accipientes, eum cum sensu et phantasia confundunt (§. 239.), vel definitionis terminos ultro accipiunt, et obscuritatis notam vix effugiunt (§. 51. *Log.*). Vt enim iure id fieri posset, prius quid sit intellectus definire, deinde vero, animam intellectu praeditam esse, ostendere debuissent. Id quod in iis methodi defectum arguit (§. 141. *Log.*)

344. Ex dictis porro consequitur 3. eo maiorem esse intellectum, quo plura sibi distincte repraesentare potest, adeoque 4. intellectus perfectionem consistere in rerum multitudine, distinctionis gradibus, ac repraesentationis celeritate. Vnde patet 5. intellectum, qui omnia possibilia simul, & unico actu, distinctissime, & adaequatissime sibi repraesentat, iure dici perfectissimum *.

* In eo namque omnes omnimodae perfectionis characteres inveniuntur: et quidem in multitudine rerum habentur *omnia possibilia*, nullo excepto; in gradibus distinctionis, *distinctissima*, & *adaequatissima repraesentatio* nullis limitibus coarctata; in perceptionis celeritate, *instantanea*, & *simultanea perceptio* nulla successione producta. Ecquid autem aliud deest, ut dicatur perfectissimus?

345. Quoniam autem, experientia teste, mens humana nec omnia simul, nec distinctissime sibi repraesentare potest: consequens est 6. intellectum humanum esse non posse perfectissimum; sed potius 7. tam quoad abiecta, quam circa modum, esse admodum limitatum *.

* Ens enim perfectissimum est infinitum (§. 129.): et quod non omnia possibilia actu habet, est limitatum (§. 130.).

346. INTELLECTVS PVRVS, *qui nullam ex sensu, & phantasia confusionem habet admixtam*; qui vero maxima illa distinctione destituitur, nempe confusionem aliquam habet adiunctam, IMPVRVS dicitur *. Si ergo vel minimum nobismetipsis attendamus, illico prodibit corollarii loco 8. homines intellectum habere impurum; ac proinde 9. purum in hac vita dari non posse **.

* Sic si quis in metaphysicis sublimitatibus probe versatus animam humanam, Deumque ita sibi distincte repraesentet, ut nihil corporeum, aut phantasticum ipsis admisceat, ei putum tribuemus intellectum: si vero ideas illas absque corporea quadam imagine formare nequeat, intellectus eius erit impurus.

** Quamdiu enim anima corpori est unita, sensiones, imaginationes, appetitionesque sensitivae deesse non possunt: in vita ergo intellectus purus esse nequit. Non diffitemur equidem, Metaphysicos ita abstractioni esse adsuetos, ut ideas rerum valde abstractas, et intelligibiles nulla confusione laborantes efformare possint. Re tamen

rite perpensa, in his etiam confusas sensuum, et phantasiae ideas irrepere, quisque animadvertet.

347. Intellectus porro, vel *ideas*, notionesque format; vel eas coniungit; aut separat, nempe *iudicat*; vel *ratiocinatur*, hoc est, e duobus iudiciis tertium elicit. Triplici modo igitur intellectus operatur, cognoscendo nempe, iudicando, rationesque conficiendo *, de quibus quum abunde satis in Logica egerimus, nunc etiam actum agere foret superfluum. Vnum tantum hic addere lubet, ideas dumtaxat universales ab intellectu confici; singulares enim solo sensu adquiruntur **.

* Addunt alii quartam huius facultatis actionem, nempe *methodum*. Sed hanc in ordine, id est connexione, ac modo operandi consistere; adeoque non actionem, sed agendi modum appellari debere, nemo non videt.

** Vide quae diximus in Logica *Part. I. Cap. I. Sect. 2.*, ubi notiones istas enodatas invenies, ut nullum hic possit incidere dubium.

348. Quum autem notiones universales, utpote abstractae (§. 32. *Log.*), in sensus non incurrant, ideoque nec aliis patefieri queant: necessarium prorsus erat signa quaedam (§. 43.) sensus percellentia inveniri, quorum praesentia abstractorum entium notiones in aliis excitarentur. Huiusmodi vero signa sunt VERBA, vel VOCES * (§. 51. *Log.*), quibus SERMO, maximum societatis hu-

humanae vinculum, conficitur (§. 47. *Log.*).

* Ita tamen, si voce, vel scripto proferantur. Quod si imaginibus abstractas eiusmodi ideas exprimeremus, signa haec HIEROGLYPHICA dicerentur, quae Aegyptiis, et Graecis, immo et ipsis Sinensibus fuerunt in deliciis. Sic *noctuae* imagine silentium, ac prudentiam, *cicadae* garrulitatem, *canis* fidelitatem exprimebant. Horum exemplo eruditi, ii praecipue, qui artem, quam aiunt, Blasonicam excoluerunt, imagines verbis miscuerunt, et EMBLEMATA confecerunt, inter quos palmam praefert Alciatus, qui librum integrum bonae frugis valde refertum de iis conscripsit.

349. Cognitio a rei alicuius praesentia adquisita dicitur INTVITIVA; quae vero signis, symbolisque comparatur, SYMBOLICA *. Quoniam ergo res praesentes sensibus percipiuntur (§. 258.); abstractae vero ideae a concretis (§. 32. *Log.*) solo intellectu efformantur; earum vero illae cognitionis intuitivae, hae symbolicae sunt obiectum: recte colligitur, intuitivam cognitionem sensibus (§. 358.); symbolicam intellectui deberi (§. 342.): ac proinde hanc maximi esse adiumenti ad distinctas ideas adquirendas.

* E. g. Lunam, Martem, Venerem coram intueris: eorum cognitione gaudes intuitiva. Dum vero signorum ☾ ♂ ♀ praesentia planetarum illorum ideam animo informas: cognitio tua erit symbolica.

350. Si plura intellectus in obiecto aliquo distinguat; ei tribuitur ACVMEN *;

 si

si notas distinctam ideam ingredientes in simpliciores resolvat, PROFVNDITAS; si distincte ratiocinetur, & ratiocinia connectat, SOLIDITAS; si prompte, & facile ideas medias inveniat, ut demonstrationes conficiat, SAGACITAS; si denique acumen in rerum similitudinibus, aut dissimilitudinibus detegendis adhibeat, INGENIVM dicitur **.

* Quemadmodum enim acumen oculis tribuitur, si plura in obiecto sensibili discernere valeant: ita et intellectui, quo plures notas in aliqua idea distinguere valet, id est, quo distinctiorem rei alicuius ideam sibi formare potest, eo maius inesse dicitur acumen.

** In ingenio quidem acumen reperiri vel ex eo patet, quod ut similitudines rerum detegantur, earum notae communes a notis differentialibus probe discernendae, adeoque plura in obiectis illis distinguenda sunt: id quod acuminis esse diximus. Hinc Oratoribus, et Poetis ingenium tribuitur, quia allegorias, similitudines, aliosque lepores passim adhibent. Est et alia ingenii notio latius accepta, eam mentis constitutionem significans ex determinata facultatum cognoscitivarum proportione natam, quamque *talenti* nomine Itali distinguunt: sed de eo nihil hoc loco.

351. Ingenium porro, prout vel obvias & patentes, vel reconditas etiam, vel veras, vel adparentes tantum similitudines perspicere potest, in VVLGARE, SVBLIME, RECTVM, & SVPERFICIARIVM * dispertitur.

* His addit Malebranchius EFFEMINATVM, quod

quod falsa subtilitate laborat, et circa sensibiles agendi, et loquendi modos delicatulo gustu occupatur, licet sibi in intimiora rerum penetralia progredi videatur. Huiusmodi sunt *elegantes* quidam *spiritus* a Gallis *beaux esprits*, ab Italis *bel l'ingegni* dicti, qui voluptatibus ac mollitiei iugiter addicti nihil, nisi sensum et phantasiam alliciens, gustant et sapiunt, quum tamen ut profundissimae eruditionis prodigia ab imbellibus illusisque venerentur: licet in eorum scriptis sola fucata stili cultura, et Delphicum quoddam scribendi genus precariis ratiunculis vix fultum elaceat. *Plerique Magnates*, ait, *aulici*, *divites*, *iuvenes*, *ac ii*, *qui elegantium spirituum nomen sibi arrogant*, *in perpetuis voluptatibus versantes*, *idque sibi solum negotii suscipientes ut placeant*, *concupiscentiamque & sensus excitent*, *tantum in hisce rebus peritiam*, *seu potius tantam mollitiem acquirunt*, *ut eos potiori iure dicas esse ingenia effeminata*, *quam subtilia*, *& expolita*, *ut id falso existimant*. *De la Recherch. de la verit. Liv. II. Part. II. chap.* 8. §. 1.

352. Ex quibus omnibus nulla opera infertur 1. acumen ab intellectu non esse distinctum, sed illius esse perfectionem; unde 2. quo maior est intellectus, eo maius est acumen; 3. ad ingenium attentione, & reflexione opus esse (§. 340. 343.).

Ratio.

353. Veritates inter se ita connecti posse, ut aliae ex aliis demonstrari queant, in Logica iam ostensum est (§. 129. *seqq. Log.*). Animae facultas, qua veritatum universalium nexum distincte percipit, RATIO vocatur *.

* Nihil Philosophis aeque, ac Sophistis tam familiare est, quam *rationis* vocabulum: nihil tamen apud illos magis vagum, his autem ignotius, quam ratio. In ea duo consideranda sunt, *subiectum* nempe, et *obiectum*: unde vox haec *subiective* accipi potest, vel *obiective*. In primo sensu, est facultas animae, eique convenit nostra definitio, ut et illa Ciceronis *de Offic. l.* 4. (§. 2. * *Log.*): in altera vero est ipsa veritatum catena, sive nexus, eumque significatum ei praebuit Leibnitius *in Discursu praemisso Theod. De conformitate rationis & fidei*, §. 23, Nos eam sub utroque aspectu considerabimus, et primo subiective, deinde obiective usurpatam perpendemus.

354. Ex qua definitione patet, 1. rationem maiores habere gradus, quo longiorem veritatum seriem perspicere potest, 2. nullam vero esse, ubi nullus veritatum nexus perspicitur *. Quumque in ratiocinando iudiciorum connexio observetur (§. 81. *Log.*): sequitur 3. ut ratio maxime ratiocinando se exserat, adeoque 4. recte observatum sit a Philosophis, ratiocinium esse rationis operationem, a quo nomen accepit.

* Hinc brutis rationem denegamus, quia *haec tantum, quantum sensu moventur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se adcommodant, paullulum admodum sentiunt praeteritum, & futurum*, ut perbelle suo more ostendit Cicero *de Off. l.* 4. Ea de caussa Philosophi experientiam rationi opponunt, in illa namque obiecta praesentia intuentes nullum veritatum nexum observamus. Si ergo inter demonstrationis nostrae principia nullum habent locum experientiae, ratione PVRA; si vero et experimentis utimur, IMPVRA gaudere dicimur.

355.

355. *Secundum rationem*, sive RATIONI CONFORME id esse dicitur, *quod in veritatum nexu continetur*, nempe *cum aliis veritatibus connectitur*; *contra rationem*, seu RATIONI CONTRARIVM, *quidquid veritatibus iam cognitis adversatur*; *supra rationem* denique, vel RATIONE SVPERIVS, *quidquid omnem hominis captum superat*, * *& a ratione sibi relicta cognosci nequit*.

E. g. Veritas haec: *Anima est immortalis*, est rationi conformis: connectitur enim cum altera: *anima est spiritus*. Contra vero propositio: *Anima est mortalis*, est rationi contraria, quia priori veritati iam cognitae adversatur. Supra rationem tandem sunt omnia Sanctae Religionis mysteria, quae nostrum exsuperant captum, nec a ratione sibi relicta, nulla scilicet naturali via, cognosci possunt. Vides hinc, aliud esse SVPRA, aliud CONTRA *rationem*: unde si quid intelligi nequit, non ideo rationi adversum dici debet, ut profani homines ratione abutentes de veritatibus ad Religionem pertinentibus effutire solent. Et quia obscuritas plerumque est relativa (§. 20. *Log.*): liquet, non omne, quod supra rationem unius est, supra omnium hominum rationem esse; adeoque dari veritates, non solum absolute, sed etiam relative ratione superiores.

356. Ex quo clare deducitur 5. quamcumque propositionem per se, vel per demonstrationem evidentia gaudentem esse rationi conformem. Et quia omne legitime demonstratum certo verum est (§. 133. *Log.*); nec umquam veritati veritas opponitur (§. 15.): consequens est 6. rationem per se neminem in errorem in-

inducere *; adeoque 7. eum qui ratione utens in errorem cadit, ratione abuti, eamque vel super rebus captum humanum exsuperantibus adhibere, vel praeiudiciis, pravisque affectibus deprimere, ac depravare.

* Error enim esset, si propositionem falsam, tamquam veram, acciperemus (§. 106. *Log.*). Sed propositio legitime demonstrata falsa esse nequit (§. 113. *Log.*), alias in principium cognoscitivum impingeretur (§. 15.): verum est igitur Poetae illud:

Nam nec decipitur ratio, nec decipit umquam. M. Manil. *Lib. I. v.* 133.

357. ANALOGVM RATIONIS est *exspectatio casuum similium*. Id vero habetur, quum positis iisdem circumstantiis, quibus olim quidam effectus successerunt, eosdem quoque rursus exspectamus eventus *.

* E. g. Titius per luxum, ac libidinem omne suum patrimonium concoxit: id tu iam observasti summam Titio peperisse mendicitatem. Si eadem vitia in Caio observas, nonne eumdem huic ominaris eventum? Hic casus similes exspectas. Tres ergo in analogia, sive casuum similium exspectatione, concurrunt conditiones; nempe 1. *censio*, qua praesentes circumstantiae observentur, 2. *imaginatio*, qua hac occasione similes circumstantiae olim observatae reproducantur, 3. *memoria*, quae agnoscat, easdem nunc adesse circumstantias, quae olim adfuerunt.

358. Patet ergo 1. exspectationem casuum similium sensu, phantasia, & memoria fieri; adeoque 2. analogum rationis ad facultatem cognoscendi inferiorem per-

pertinere; in eo namque effectus confuse exspectantur, non distincte praevidentur; unde 3. nullum in eo rationi esse locum *.

* Rationis analogum in belluis reperimus: qua de re hanc theoriam fusius infra tractabimus.

Habitus.

359. Promtitudo quaevis, & facilitas agendi exercitatione comparata dicitur HABITVS. Est autem EXERCITATIO: *continua, vel frequens earumdem actionum, occasione data, repetitio* *.

* Si quis e. g. res frequenter memoriae mandavit, memoriam exercuisse dicitur, atque in eo facilitatem adquisivit, nempe promtitudinem id exsequendi minore labore, ac tempore, quam alius quisquam facere posset: in eo vero habitus consistit.

360. Ex qua definitione patet 1. habitum exercitatione adquiri, & augeri, 2. ex eiusdem autem intermissione amitti, 3. eius augmentum, vel diminutionem esse in ratione directa exercitationis *: unde recte concluditur 4. agendi facultates animae nostrae natura inesse, non vero habitus; 5. hos igitur non esse novas agendi facultates, sed facultatum exercitia facilitate perfecta **.

* Loquimur hic de habitibus naturalibus, non etiam de supernaturalibus, quos infusos esse posse Theologi docent.

** Con-

** Contrariam opinionem tuentur Peripateticorum quamplurimi, quos sequutus est Genuensis noster, nullo tamen rationis momento ad id inclinati. Legitima vero consequutione ab his, quae dicta sunt, oritur, generatim quascumque facultatis cognoscendi, sive inferioris, sive superioris, actiones continua exercitatione, nempe repetitione, augeri perfectioresque reddi: quod quum experientia ipsa pateat, longius hic progredi foret superfluum.

361. Quum autem actiones aliae mentis, aliae corporis esse possint: oritur habituum divisio in MENTALES, & CORPOREOS. Quia vero anima cognoscit, & vult (§. 241.): illius facultatis habitus INTELLECTVALES; huius contra MORALES dicuntur: & hi quoque si ad bonum tendant, VIRTVTES; si ad malum, VITIA appellantur.

SECTIO II.

De appetitu rationali, & voluntate.

362. APPETITVS RATIONALIS est *nisus, sive conatus, quo anima fertur versus obiectum abstractum sibi ab intellectu, & ratione, tamquam bonum, repraesentatum*. Brevius: est *animae nisus erga bonum distincte cognitum*. AVERSIO RATIONALIS est *nisus animae malum distincte cognitum a se depellendi* *.

* E. g. Aegro offertur medicamentum, idque sa-

saluti suae recuperandae idoneum agnoscit, distinctis, solidisque rationibus a Medico allatis convictus. Aeger hic nisum, conatumque sentiet bonum illud medicamen bibendi. Videt itidem vas vino plenum, idque sibi nocere edoctus, noxam hanc intellectu, et ratione distincte percipit: nonne is conatum vinum fugiendi, noxamque illam a se depellendi sentiet? Sensus quemque internus de hac veritate erudire poterit.

363. Ex quo patet 1. appetitum & aversionem rationalem ab intellectus, & rationis iudicio pendere; adeoque 2. eo posito, appetitum, & aversionem quoque poni; 3. appentitus ergo, aversionisque rationalis rationem sufficientem esse distinctas boni, malique repraesentationes. Et quia posita ratione, rationatum etiam poni, communis omnium Philosophorum docet consensus: liquet 4. positis eiusmodi repraesentationibus, poni appetitum, unde 5. necessarium inter ea nexum intercedere, quisque novit. Quum autem quidquid rationem alterius sufficientem continet, caussa vocetur (§. 21.): sequitur 6. ut distinctae repraesentationes sint caussa appetitus, aversionisque rationalis, 7. haecque illarum sint necessarii effectus; ac proinde 8. nullum in huiusmodi appetitu, vel aversione esse possit arbitrium. *

* Vides hinc, quam male de voluntate, ac libertate senserint Leibnitius, Wolfius, ceterique, qui appetitum rationalem cum voluntate idem esse contendunt. Ex necessitate namque appe-

pe-

petitus in voluntate quoque necessitas oritur, nec ulla humanae voluntati libertas implicite relinquitur. Et quidem, si ex eorumdem confessione appetitus, et aversio sensitiva sunt necessariae confusarum boni malique repraesentationum consequutiones, quidni et rationalis necessario easdem distinctas sequi debebit? Nulla ergo libertas esset, si appetitum rationalem cum voluntate confunderemus.

364. Et quoniam experientia abunde notum est, homines, licet appetitu rationali instructos, & ad bonum eligendum aeque ductos (§. 294.), id tamen persaepe negligere, & appetitui sensitivo indulgere: quandoque vero hanc illi postponere: consequens est 9. homini inesse facultatem propensiones suas pro lubitu sequendi, vel non sequendi; atque adeo 10. res, quae appetitum cient, eligendi, vel fugiendi, 11. eamque ab appetitu rationali esse diversam.

Voluntas.

365. VOLUNTAS est *facultas animae, qua ipsa se ad bonum, quod adpetit, eligendum, aut malum, quod aversatur, fugiendum, sine concursu principii efficientis externi, determinare potest*. Huius facultatis actus sunt VOLITIO, & NOLITIO*. Et quia in homine inest haec facultas (*per exp.*): animam hominis ea praeditam esse, nemo negabit.

* Advertas hic, nolitionem non esse puram vo-

volitionis negationem, vel actionis privationem, sed actionem positivam, ita ut *non velle*, et *nolle*, sint duo status distincti. Inter *velle* enim, et *nolle*, utpote contraria, adest medium (§. 87. *), nempe status indifferentiae, in quo anima nec eligit, nec fugit, quandoquidem obiectum nec bonum, nec malum, sed indifferens (§. 289.), sibi repraesentat.

366. Quoniam autem nihil appetere, aut aversari possumus sine motivis (§. 295.); motiva vero in appetitu rationali sunt repraesentationes boni, malive distinctae (§. *eod.* & 362.), quae ad facultatem cognoscendi superiorem pertinent (§. 253.), electio contra in bonum quod appetimus, & fuga in malum quod aversamur, cadit (§. 365.): sequitur 1. ut distinctae boni malive repraesentationes voluntatis actibus praecedere debeant; adeoque 2. intellectus voluntati facem praebeat. Et quia anima non semper vult, nec semper idem vult, quandoque etiam vult oppositum, ut experiri quisque in se quotidie potest; id autem, cuius oppositum fieri potest, contingens dicitur (§. 134.): recte colligitur 3. animae volitiones, & nolitiones, omnesque voluntatis actiones, esse contingentes.

367. Si quid a voluntate pendeat, VOLVNTARIVM; si ab ea non pendeat, ut nec ipsa positive renitatur, NON VOLVNTARIVM; si vero a voluntate non pendeat, ipsa tamen contra nitatur, INVOLVNTARIVM dicitur *.

* Sic

* Sic *deambulatio*, *sessio*, *comestio* voluntaria sunt; *circulatio sanguinis*, *digestio in ventriculo* non voluntaria; *risus in re absurda*, *iter per aera in globo aereostatico*, nobis licet contradicentibus, involuntaria.

368. Actiones voluntatis, vel ab ipsa, velut a principio activo, immediate pendeat, vel ad eius nutum ab aliis animae facultatibus eliciuntur. Illae ACTVS ELICITI; haec IMPERATI a Philosophis vulgo appellari solent *.

* Prioris classis sunt volitiones, et nolitiones; alterius vero attentio, reflexio, allocutio ect.

369. Quum ergo voluntas solis motivis accedentibus (§. 366.); nulla caussa efficiente externa ad volendum, & nolendum se determinet (§. 365.): infertur 4. eam nulla vi cogi posse nec ad actus elicitos, nec ad imperatos *.

* Quamvis enim carnifex damnatum verberibus affligat, et cruciet: numquam obtinet, ut hic furcam, et laqueum velit, aut vivere nolit. Nec umquam paedagogus consequetur, ut distractus tiro attentionem adhibeat, licet flagellis, ac fustibus eum exanimet. Tametsi vero mercator, saeviente tempestate, merces in mare proiiciat, ad actum tamen illum non tempestate cogitur, sed ut medium servandae vitae aptissimum volens eligit.

370. SPONTANEITAS (sit verbo venia), alio nomine *libertas a coactione*, est *facultas animae seipsam absque ulla vi externa ad actionem aliquam determinandi*, quae

quae actio dicitur SPONTANEA *; eius vero sponte agens *liberum a coactione* appellatur **.

* Vides hic, voluntati competere spontaneitatem (§. 369.). E. g. In Academiam frequens advenis nulla vi externa compulsus, sed *sponte* tua. Fur contra ad furcam vadit, non sponte, sed coactus, a carnifice nempe raptatus.

** Quascumque actiones anima edit, libere a coactione agit, idque de brutis quoque intelligendum, quae quum appetitu sensitivo gaudeant, ut infra dicemus, et hic a repraesentationibus confusis oriatur (§. 296.), licet a vi quadam interna, nempe inclinatione, vel instinctu ad appetendum, aversandumque moveantur, nullam tamen vim patiuntur externam. Quare libertati valde infensi sunt, et absurdam de anima hominis opinionem fovent, qui vocabula inania venditantes alta canere se putant, et libertatem ei tantum a coactione tribuunt. Sed tempus est, ut de libertate humana tractationem instituamus.

SECTIO III.

De libertate.

371. VT veram ac distinctam libertatis humanae ideam efformare possimus, in mentem revocanda, quae de actus primi proximi cum actu secundo connexione docuimus in Ontologia (§. 37. *seq.*): nempe eam caussam dici necessariam, in qua actus primus proximus completus necessario cum actu secundo est coniunctus; liberam vero, quum inter illos adest indifferentia, nempe ut, datis omni-

omnibus ad agendum requisitis (§. 28.), actio omitti possit. Voluntas ergo humana tunc libera recte dicetur, quum indifferentia isthaec ei adserta fuerit, id quod in hac sectione exsequi instituimus.

372. LIBERTAS, sive LIBERVM ARBITRIVM est *voluntas ipsa* (§. 365.), *prout positis omnibus ad agendum requisitis potest obiectum perceptum velle, aut non velle; item velle, aut nolle; demum id velle, vel aliud* *. In primo casu habetur libertas EXERCITII, vel CONTRADICTIONIS; in altero CONTRARIETATIS; in tertio SPECIFICATIONIS.

* Vides hinc, ad libertatem requiri spontaneitatem (§. 370.), motiva (§. 295.), contingentiam (§. 366.), et facultatem actiones, etiam positis ad agendum requisitis, suspendendi. Vnde ad adserendam homini libertatem requiritur, ut *ea possit non agere*, nullo deficiente requisito; nam si aliquod eorum deesset, *non posset agere*; adeoque omissio non diceretur libera, sed necessaria, nempe *impotentia*. Ad haec autem opus est, ut actus primus proximus non necessario sit cum actu secundo connexus, sed indifferens (§. 28.) natura sua ad actum secundum, id est, ut posito actu primo proximo completo (§. 27. *sequ.*), possit pro lubitu actus secundus poni, vel omitti; eaque libertas INDIFFERENTIAE nominatur, quae a statu indifferentiae toto coelo diversa est, ut attendenti patet: idque sedulo notandum, ne quis perperam ea confundens in errorem incidat.

373. Ex qua definitione patet 1. quamcumque necessitatem, vel ex intima naturae constitutione, vel ex alio quovis princi-

cipio, sive interno, sive externo profectam, quae voluntatem, positis omnibus ad agendum requisitis, ad volendum, vel nolendum insuperabiliter determinat, libertatem tollere; adeoque 2. facultatem hanc homini iure proprio, ac prae ceteris animantibus competentem, recte LIBERTATEM A NECESSITATE fuisse appellatam, quae a spontaneitate mirum quantum distat: unde 3. actionem aliquam esse posse spontaneam, nempe liberam a coactione (§. 370.), non item liberam a necessitate *.

* Spontaneitas enim, sive libertas a coactione, excludit omne principium efficiens externum (§. 370.), sed non internum, scilicet necessitatem naturae, aliamve, libertas autem a necessitate quamcumque caussam, sive internam, sive externam, excludit. Hinc quaecumque libertatis definitiones solam spontaneitatem exprimentes proscribendae sunt, et inter fatalistarum sophismata referendae. Tales sunt definitiones D. Gollins *Recherch. phil. sur la libert. de l' homm. préface*, Iacqueloti *de l' existenc. de Dieu. p.* 381., Lockii *de intellect. hom. Lib. II. cap.* 21. §. 8., D. Voltaire *Elem. de phil. de Newton Part. I. chap.* 4., Leibnitii, et Wolffii *Psych. empyr.* §. 941., eorumque sectatorum, quorum longiorem texere catalogum instituti brevitas non patitur. Omnibus enim his libertas est *potentia, qua homo gaudet, faciendi id quod vult, sive id quod ipsi placet*. Collins *loc. cit.* (1), quae definitio, si bene perpendatur, ea li-

(1) *Je ne combats la liberté, ou le franc-arbitre, que dans un certain sens, que l' on donne a ce ter-*

libertatem tantum a coactione, non item a necessitate exprimi, illico adparebit. Si namque homo quidquid sibi placeat facere posset, principio quodam interno, nempe proprio appetitu, qui vere principium urgens internum est, ad agendum determinaretur, adeoque non esset liber, isque sponte, non libere ageret. Sed de his plura coram.

374. Quoniam autem ens illud, cujus actiones in continua serie sunt ita dispositae, ut status antecedens rationem contineat consequentis, necessitate naturae, habitis requisitis illis, determinatur, ut cuique manifestum est: liquet 4. ens illud non libere agere; ac proinde 5. HARMONIAM Leibnitianorum PRAESTABILITAM, quae in huiusmodi serie sita est, libertatem tollere *, ut infra videbimus.

* Quum enim Harmonistarum systema adfirmet, animam suas perceptiones, et appetitiones, quibus voluntatis actus accensent, in serie continua habere: recte consequitur, statum antecedentem subsequentis rationem continere, adeoque necessitatem induci, et libertatem tolli, licet eam incolumem servare conentur.

375. Nec minus libertati obest 6. NECESSITAS MORALIS a Baumeistero, Bo-

---

terme. Je l'établis, & la soutiens, si on entend par ce mot le pouvoir, qu' à l'homme de faire ce qu'il veut, ou ce qu'il lui plait, Collins *Recherches sur la liberté, Préface*.

Poehmio, quin & ab eodem Clarkio, ut libertati haud nocens, adserta; ea namque a motivis oritur, quibus positis, actio omitti nequit *. Idem autem libertati detrimentum adferri, sive physica, sive morali necessitate voluntas ad agendum determinetur, nemo est, qui non intelligat.

* Contrarium autem docet experientia; nam licet motiva ponantur, quibus necessitas moralis insurgere deberet, ut Cl. Viri autumant, homo tamen actionem libere omittit, nulla namque inter huiusmodi motiva, et actionem adest necessaria connexio, sed pura indifferentia.

376. Quum autem libertatis exercitium sit actio voluntatis (§. 372.); haec vero sine motivis agere nequeat (§. 366.): liquet 7. libertatem sine praevia boni, malique repraesentatione exerceri non posse; ideoque 8. voluntatem sine motivis nec libere velle, nec libere nolle posse. Quumque motiva nullam necessariam habeant cum actione connexionem (§. 375. *): infertur 9. ea inter requisita ad agendum esse referenda, quae actum primum proximum constituunt (§. 28.); adeoque 10. nullam esse hic inter actum primum proximum, & secundum connexionem necessariam; ac proinde 11. caussam eorum actuum, nempe voluntatem, esse liberam *.

* Motiva nempe sunt ratio sufficiens appeti-

tionis, vel aversationis (§. 295.), non vero volitionis, vel nolitionis liberae: unde si cum Wolfianis, iisque, quibus in hoc Wolffium sequi placuit, voluntatem cum appetitu rationali confundere vellemus, positis motivis, ponerentur voluntatis actus (§. 193.), orireturque inde necessitas libertatem excludens (§. 373.). Hoc probe perpendant cuperemus, quicumque cum Baumeistero dictitant: *Concedimus equidem, quod anima positis omnibus ad agendum requisitis possit contrarium agere: sed N. B. si contraria motiva fortiora accesserint. Psych. emp.* §. 682. *Schol.* Vbi, quaeso libertas esset, si res se sic haberet? Hic voluntas librae foret instar, ut putat Wolffius, quae a ponderibus lanci appositis ad praepondium determinatur. Vnde sicut librae aequilibrium, vel praepondium a ponderum aequalitate, vel inaequalitate necessario pendet, ita eadem necessitate voluntas motivorum momentum sequeretur, nec posset non agere, atque adeo libera non esset. Dum autem ab his dissentimus, non eorum sententiam amplecti volumus, qui mentem nostram sibimet ipsi agendi motiva creare; nullis vero antecedentibus boni, malive repraesentationibus allici opinantur, cuiusmodi est Kingius Archiep. Dublin. *in lib. de origine mali*, et Hookius *Eth. el. Sect. I. art. 1. de libert.* Haec enim cum sensu omnium interno pugnat, a quo discimus, nos naturaliter felicitatem appetere, atque ab ideis boni vel mali voluptate vel taedio perfundi, unde ad agendum allicimur. Praeterquam quod: *cuius utilitatis forent praemia aut poenae, si nulla homines boni spe, malive metu tangerentur?* praeclare inquit Bayle *Répons. au Provinc. ch.* 90. *Tom. I. p.* 221.

377. Quia vero libertas est voluntas ipsa (§. 372.); haec vero a facultate cognoscitiva superiore (§. 366.), intellectu scilicet ac ratione (§. 334.), pendet: sequitur 12. ut libertas etiam ab intel-

tel-

tellectu, & ratione pendeat; adeoque 13. ens intellectus, & rationis expers libertate careat.

Nimirum, nisi distincta boni malive repraesentatio accesserit, requisita ad agendum, nempe actus primus proximus completus (§. 376.), desiderabuntur, nullaque adeo erit libertas. Hinc homo sui ipsius dominus per libertatem evadit ita, ut si quis per amentiam intellectu, et ratione destituatur, sui compos esse negetur, nec ipsi actiones propriae tribuantur, vel imputentur.

378. IVDICIVM intellectus dicitur THEORETICVM, si obiectum bonum esse enuncietur; adeoque electu dignum; PRACTICVM vero, si discussis omnibus circumstantiis adfirmetur, illud esse eligendum. Quum ergo ad actum primum proximum complctum sufficiat iudicium theoreticum, nec sit necessarium practicum: consequens est 14. ut voluntas ad libere volendum non egeat praevio iudicio practico; immo vero 15. ab eo necessario non determinetur. *

* Etenim, vel iudicium illud est actus necessarius intellectus, qui distinctas boni, malive repraesentiones necessario sequitur, et eo casu nulla esset amplius libertas; vel liber, non ut actus intellectus, sed ut actus voluntatis imperatus, et tunc actus elicitus illum imperans ab alio praevio determinari deberet, fieretque progressus in infinitum, ad eamdem semper quaestionem redeundo. Non eget ergo voluntas praevio iudicio practico ad aliquid libere volendum, vel nolendum, quidquid contra dicant libertatis

humanae oppugnatores. Ponamus enim libertatem *exercitii*, quam aiunt, a Thomistis id asserentibus concessam. Si voluntas necessario ab huiusmodi iudicio determinaretur, in hoc casu non posset non agere quidquid iudicium illud agendum praeciperet, ideoque actum esset de libertate exercitii, quae consistit in agendo, vel omittendo pro lubitu, positis omnibus ad agendum requisitis (§. 372.). Et licet aliqui hic respondeant, remanere libertatem radicalem: vellemus tamen, ut hi radicalia ista determinarent, quae numquam definitione ulla exposuerunt, nec nisi purum verborum continent lusum. Quae vero de Leibnitianorum consultatione praevia, in qua libertatem constituunt, dicenda forent, ea coram distincte afferemus, quamvis ex huc usque dictis perspicue deducantur, praesertim quum *status aequilibrii*, in quo consultatio ista fieri deberet, Leibnitio repugnare dicatur. *Theod. Part. I.* §. 49. *& passim*.

379. Quum ergo sensu intimo evidenti; continuo, & invincibili *, nedum unanimi hominum consensione ** constet, hominem, positis omnibus ad agendum requisitis, suopte arbitrio, nulloque interno externove impulsu, se ad volendum, vel nolendum; item ad agendum, vel omittendum; demum ad unum, vel aliud volendum, libere determinare: animam humanam vera, omnibusque numeris absoluta libertate praeditam esse, nemo mentis suae compos negare, vel saltem in dubium revocare ausit ***.

* Quis enim umquam sibi ipsi attendens non agnovit, se, licet omnia ad agendum adsint requisita, actionem eamdem posse pro lubitu incipe-

pere, interrumpere, suspendere, conficere, omittere, uno aliove modo facere? Liberam cuique homini haec omnia agendi inesse facultatem, experientia interna constat, quae quum physicam certitudinem in nobis producat (§. 115. *Log.*), animam humanam esse liberam a necessitate, physica certitudine convincimur. Et quamvis Spinoza *Epist.* 62. *p.* 584., et Bayle *Répons. au Provinc. ch.* 149. *Tom. I. pag.* 761. *suiv.* sensum hunc internum in dubium vocent, vel futilibus interpretationibus subiiciant: negare tamen haud poterunt, persaepe sibimet evenisse, ut excitato in mente boni cuiusdam appetitu, vel mali aversione, contra propriam egerint propensionem, physicaque evidentia noverint, facultatem sibi contrarium eligendi remansisse, et adhucdum inesse dum agerent. Sensum quidem illum intimum negare, aut in quaestionem perducere, est communi sensui valedicere: est enim EVIDENS, quippe se exserit absque labore, studio, vel investigatione; CONTINVVS, unde infinitae quotidie fiunt experientiae; INVINCIBILIS, quia nemo ei contradicere potest, nec eius activitatem suspendere: impressio namque in nobis facta est tam vivida, ut ii quoque, qui bellum contra indixerunt, eidem factis litent; id quod completam efficit demonstrationem, homines esse liberos. *Permirum est*, inquit illustris Galliae scriptor, *serio in quaestionem poni potuisse, utrum homo vere sit actionum suarum dominus, possitne illas suspendere, vel continuare, habeatne potentiam se determinandi ad aliquid agendum, vel non agendum, uno verbo, sitne liber in suis diversis operationibus? Omnia ad statuendam huius facultatis in nobis exsistentiam concurrunt: sensus internus in se ipso, omnibusque hominibus; boni, malique notiones; characteres odii, & amicitiae; omnis legum oeconomia, poenas, & praemia* (1). Fal-

(1) *Il est étonnant qu' on ait pû sérieusement met-*

Falso itaque, suoque sensui et rationi contradicens Calvinus *Instit. Lib. II. cap. 2. num. 2.*: *homines*, aiebat, *esse liberos eo sensu, ut voluntarie, non coacte agerent*: quo ipso homines brutis pares, nempe sponte agentes, dum a coactione tantum liberos esse statuit, effecit.

** Platonem quidem, licet fati adsertorem, libertatem hominis defendisse, legimus in eiusdem *Gorgia*, et *libro ultimo de Republica*, idemque scribit Plutarchus *De placit. philos. cap. I.* Pythagoram etiam idem sensisse, refert Stanleius *Histor. phil. Tom. II. de doctr. Pythag.*. Aristotelem saepe dixisse: *bona malaque facere in nostro esse arbitrio*, testis est eius Ethica *Lib. III. cap. 5.*, et liber Moralium *Lib. I. cap. 9.*. Ciceronis inter alia quamplurima pro libertate scripta, praeclarum est illud effatum: *Sentit animus se moveri; quod quum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri. Tuscul. Quaest. Lib. I. cap. 23.* Quinimmo tanta fuit eius pro libertate propugnatio, ut quum eam cum praescientia divina conciliare non posset, hanc potius, quam illam, impugnaverit in libris *De Fato*, & *de natura Deorum*. Stoicos, paucis exceptis, idem cum Platone sensisse, auctores sunt Plutarchus *De placit. phi-*

---

mettre en problême, si l'homme est réellement maître de ses actions, s'il peut les suspendre ou les continuer, s'il a le pouvoir de se déterminer à faire, ou ne pas faire telle, ou telle chose, en un mot s'il est libre dans ses differens operations. Tout concourt à établir la réalité de cette faculté en nous; le sentiment interieur en soi-même, & dans tous les hommes; les idees du bien & du mal; les caractères de l'amitié & de la haine, toute l'économie des Loix, des châtimens & des récompenses. M. de la Chambre *diss. sur l'ame humaine chap. I. art. 2. §. 3. n. 4.*

philos. Lib. I. et de Chrysippo Cicero *De fato cap.* 17, Gellius *Noct. Attic. Lib. VI. cap.* 2., idemque libertatis hostis Petrus Bayle *Dictionn. Hist. crit. art. Chrysippe*. Epicurum, ut libertatem hominis salvam faceret, atomorum *clinamen* invenisse, ait Laertius. Vid. Stanl. *Hist. phil. Tom. II. de phil. Epic.* Et ut ceteros reticeamus, ipse Lucretius Materialistarum coriphaeus *de Nat. rer. Lib. II. v.* 277. negare non potuit, esse in nobis

Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit,
Cuius ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus;
Et proiecta refraenatur, retroque residit.

Pro libertate pugnarunt item tot innumeri Philosophi, quotquot ad nostra usque tempora floruerunt, si paucissimos excipias, quos saeculum nostrum illuminatum ad eliminandam omnium temporum ignorantiam in lucem prodidisse iactant hodierni libertini, quorum tamen sophismata, quoniam sponte ruunt, nihilque nisi inania verborum syrmata continent, non est, quod enumeremus.

*** Non abs re igitur Cl. de la Chambre Pseudo-philosophorum deliria miratur, quibus hominis libertatem negare ausi sunt. Eius verba nativo sermone hic referre libet: *On s' étonnera toujours*, ait, *qu' il se soit trouvé des Philosophes, qui ayent nié que l' ame de l' homme agisse réellement dans ses différents operations. Le fond d' activité qu' elle a, lui est si intimement connu, qu' il faut être en délire pour le lui disputer. Diss. sur l' ame humaine chap.* 3. *art.* 2. §. 1. *n.* 1.

380 Et quamvis permulta contra libertatem iacula contulerint prae ceteris SPINOZA, * HOBBES, ** COLLINS, *** & HELVETIUS, **** quae rudibus, incautisque hominibus fucum faciant; ea ta-

men eiusmodi sunt, ut sola interna experientia, & vel minimo rationis usu in fumum, ac dispersionem abeant, nec, nisi ablato communi sensu, quidpiam aestimari possint.

* Libertatem hic praecipue oppugnat *Eth. Part. I. append. Homines*, inquit, *se liberos esse opinantur, quandoquidem suarum volitionum, suique appetitus sunt conscii, & de caussis, a quibus disponuntur ad appetendum, & volendum, quia earum sunt ignari, nec per somnium cogitant*. Sed ab eo quaerimus, undenam ipsi huiusmodi caussae innotuerunt? Si hominibus universis ignotae sunt, eccur caussas hasce determinantes adesse dicemus? Nonne haec pura principii, et quidem gratuiti ac phantastici, petitio est? Eas ergo, quia nullae sunt, ignoramus, nec de iis cogitamus. Contra vero scimus, libertatem in nobis esse, quia actiones voluntarias, quotiescumque libuerit, suspendere valemus, id quod in actionibus necessariis, et naturalibus contra evenire, eadem evidentia convincimur. Sapienter igitur Fenelon aiebat: *Liber ego sum, nec de mea libertate dubitare possum. Intime ineluctabiliter convincor me velle, & nolle posse: & non solum inter hoc ipsum velle & nolle, posse eligere, sed etiam inter ipsas volitiones pro obiectorum, quae mihi obvia fiunt, varietate. Sentio, ut Scripturae inquiunt, me esse in manu consilii mei. Dém. de l'existenc. de Dieu. Part. I. n.* 69. Et rursus *n.* 87. *Sentio me esse liberum ad sedendum, dum ad ambulandum insurgo. Tam vivide, tam certe id sentio, ut de hac nequeam serio addubitare: memetipsum inficiarer, si oppositum auderem adserere.*

** Primum quidem Hobbesi argumentum est, *Cum nihil a seipso possit incipere, initium sumat, oportet, ab actione immediata alicuius agentis, quod extra ipsum sit. Si quid ergo homo vult, quod nole-*

lebat antea, non a sua voluntate rationem sumit, sed ab aliquo, quod in eius situm non est potestate. Vt scias tamen id, non ex Hobbesi penu, sed et ruentibus vetustatis monumentis depromtum, eius refutationem iam pridem ab Angelico Doctore factam adferre libet. Quaerit primo, utrum agens exterius sit Deus, an obiecta? Si primum, respondet: *Relinquitur, quod id, quod primo movet voluntatem, & intellectum, sit quid aliquid supra voluntatem & intellectum, scilicet Deus, qui cum omnia moveat secundum rationem mobilium, etiam voluntatem movet secundum eius conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa. Quaest. VI. de malo art. un. ad 2.*. Si secundum: subdit: *Sunt quaedam particularia bona, quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine iis potest aliquis esse beatus; & huiusmodi bonis voluntas non de necessitate inhaeret. Sunt autem quaedam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhaeret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem divinae visionis necessitas huiusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his, quae Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhaeret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Patet ergo, quod voluntas non ex necessitate vult quaecumque vult. Part. I. quaest. 82. art. 2.* Nimirum homo natura sua propriam felicitatem (§. 302. *not.* 3.), summi nempe boni possessionem adpetit (§. 302.), eamque vehementem appetitionem ei Deus infudit. Sed quia bonum illud in hac vita evidenter non videtur, contra vero infinita paene bona peculiaria homini obversantur, ad haec non a Deo, nec ab ipsis praecise bonis determinatur, sed voluntas nulla necessitate, scilicet libere, ad eorum aliquod se determinat. Opponit denuo: *Quaelibet caussa sufficiens debet esse necessaria, siquidem, nisi necessaria effectum suum producat, aliquid ipsi deest, quod ad productionem requiritur, ac per conse-*

quens non est in hoc casu caussa sufficiens. Ergo totum id, quod producitur, necessario producitur, quoniam non posset produci sine sufficienti caussa; & hinc oritur, ut omnes voluntariae actiones sint necessariae. Huic itidem respondet Doctor Angelicus *Quaest. 6. de malo art. un. ad 10.: Dicendum, quod non omnis caussa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit caussa sufficiens, eo quod caussa potest impediri, ne quandoque effectum suum consequatur, sicut caussae naturales, quae non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa caussa, quae facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari, vel removendo talem considerationem, quae inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum scilicet, quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum.* Hobbius quidem caussae sufficientis vocabulum indeterminate sumsit, nec quid ea esset, explicavit. Si per eam intellexit motiva, principium est precarium: nam ea caussas volitionum sufficientes esse nec demonstravit, nec demonstrare potuit: sunt enim pura ad agendum requisita (§. 376.). Si vero animam: ea, quum utrumlibet oppositorum eligere queat, libera est, nec ullum superest Malmesburiensi seni perfugium.

*** Antonius Collins Fatalistarum saeculi nostri Antesignanus in opere *Recherch. philos. sur la libertè de l'homme* plurima exaggerat, quibus libertatem hominis ad nihilum redigere nititur. Potiora eius argumenta sunt: 1. Quaestionem de animae libertate omnium esse difficillimam, adeoque eam revera non dari: quum enim anima sit omnibus patens, omnes eius proprietates etiam in procatulo esse debent. Sed bona ipsius pace, hic de libertatis exsistentia, non de eius origine, vel modo agitur. Illa omnibus, vel de plebe, hominibus sensu intimo, et ineluctabili innotescit; hoc contra est investigatu difficile. Etsi ergo rei ali-

alicuius modus et origo ignoretur, quum tamen exsistat, eius existentiam in dubium revocare, est sensum communem parvipendere, seque brutum potius, quam hominem, ostendere. 2. Volitiones nostras ab inclinationibus, vel declinationibus; has vero ab impressionibus pendere; esse ergo ut impressiones: impressiones autem oriri ab actione obiectorum externorum, temperie corporis, et constitutione animi; necessarias ergo esse impressiones, atque adeo inclinationes, et declinationes, ac proinde voluntates. Hoc argumento plurimos in confusionem adductos, clamitat Genuensis *Metaph. Part. II. cap. 4. append.* §. 28., se tamen ad merum id sophisma redacturum. Si quid tamen videmus, in suo systemate proponendo idem, obscurius licet, repetit *ibid.* §. 27.: *Voluntates*, ait, *sunt ultimae mentis determinationes erga bona obiectiva, aut a malis obiectivis: eae vero determinationes pendent ab inclinationibus, vel declinationibus, istae a ratione bonorum, vel malorum obiectivorum flectente libertatem* (*omnia ex demonstratis*); *ergo inde quoque voluntates*. Id vero clarius explicat §. 26. ubi *inclinationes*, *& declinationes*, inquit, *ab impressionibus pendere*, *& esse in earum ratione*. Primum quidem scire vellemus, quidnam *dependentiae* vocabulo Adversarius intelligat? Si determinationem voluntatis ab appetitu, id puram principii petitionem continet, numquam enim demonstratum est; si vero animae propensionem erga motiva, nempe repraesentationes boni, vel mali: ab iis quidem voluntas pendet eo sensu, ut sine iis agere nequeat; sed quoniam ea inter requisita ad agendum referuntur (§. 376.), ab iis non necessario determinatur, adeoque non possunt volitiones esse ut inclinationes, nec per consequens ut impressiones.

**** Helvetius in libro *De l' Esprit* Spinozae simul, aliorumque Fatalistarum argumenta recoquens, omnem hanc theoriam evertere nititur. Ait enim, libertatem in homine esse nullam, *quoniam omnes cogitationes nostrae, omnes voluntates,*

aut nascuntur, aut necessario inferuntur ab impressionibus, quas ab obiectis nos circumdantibus excepimus. Discours I. chap. 4. (1). Sed id pura principii petitio est, eique responderi poterit, quod supra (*not.* 3.) contra secundum D. Collius sophisma produximus: falsum nempe esse, nec umquam ab incredulis demonstratum, animam ad volitiones a repraesentationibus boni, malive necessario determinari. Subdit Helvetius: voluntates esse ut inclinationes, et declinationes, nempe ut perceptiones boni, et mali: nam voluntas necessario tendit in bonum, malumque aversatur: si ergo intellectus aliquid bonum, aut malum esse cognoscat, nequit voluntas illud non amare, hoc non-aversari. *Ibid.* Verum quidem est, voluntatem necessario ferri in bonum absolutum, et infinitum idest summum bonum, quod undequaque tale est. Sed bonum istud in hac vita haberi nequit, quum nullum sit hic bonum obiectivum, quod semel possessum omnia hominis desideria expleat. Non ergo est in mundo bonum aliquod, in quod voluntas hominis necessario tendat. Sunt tamen quamplurima bona finita, id est suis gradibus gaudentia: quumque haec tot, tamque varia sint, nullum eorum voluntatem necessario trahit, sed ea erga omnia indeterminate fertur, et ad quodlibet illorum se libere determinat. Nec obstat trita illa, et quatriduana obiectio, voluntatem, quae necessario amat propriam felicitatem, eadem necessitate et media eodem ducentia velle debere: nam, ut bene advertit S. Thomas *quaest. 6. de malo art. un. ad 9., quando ad finem non pos-*

(1) *Il faut que toutes nos pensées & nos volontés soient des effects immédiats, ou des suites nécessaires des impressions que nous avons reçues. On ne peut donc se former aucune idée de ce mot de* liberté, *appliqué à la volonté*. De l' Esptit *Discours I. chap. 4. pag.* 44.

posset perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea quae sunt ad finem. Sed ita non est in proposito, nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest... Et ideo, licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quae ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult. Addit Helvetius: *potentiam volendi, vel non volendi rem aliquam esse potentiam volendi sine motivis: quumque hoc sit absurdum; libertatem ergo esse terminum inanem* (1). *Ibid.* Huic respondemus, nullam esse libertatem, si nulla motiva accesserint (§. 376.): falsum ergo est, potentiam liberam esse sine motivis. Quum autem dicimus nos velle, aut nolle sine ratione, aut caussa, intelligimus nullam esse rationem externam, et implicitam; nam sufficit, ut anima motivum habeat, licet id implicite intendat. *Communi consuetudine*, ad rem inquit Cicero, *sermonis abutimur, cum ita dicimus: velle aliquid quempiam, aut nolle sine caussa; ita enim dicimus sine caussa, ut dicamus sine externa, & antecedente caussa, non sine aliqua*. Et paullo post: *Ad animorum motus voluntarios non est requirenda caussa: motus enim voluntarius eam naturam in seipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat: nec id sine caussa: eius enim rei caussa ipsa natura est. De fato cap.* 11. Ridenda igitur me-

(1) *On a donc une idée nette de ce mot de* liberté, *pris dans une signification commune. Il n'en est pas ainsi lorsq' on applique ce mot de* liberté *à la volonté. Que seroit-ce alors que la liberté? On ne pourroit entendre, par ce mot, que le pouvoir libre de vouloir ou de ne pas vouloir une chose; mais ce pouvoir supposeroit qu' il peut y avoir des volontés sans motifs, &, par consequent, des effets sans cause. Il faudroit donc que nous pussions également nous vouloir du bien & du mal; supposition absolument impossible*. Ibid. *pag.* 43.

merito sententia D. D' ALEMBERT, qui voluntatem sine ratione sufficiente externa quidpiam volentem cum fortuita atomorum declinatione ab Epicuro adserta comparat. *Enciclopedie art. fortuit:* nam nullus casui potest esse locus, ubi adest ratio sufficiens, licet externa non sit; nec ullam similitudinem habere poterunt atomi inertes, brutae, et inactivae casu, et sine caussa efficiente declinantes cum anima ratione, voluntate, ac deliberatione praedita, quae motivis quibusdam allecta, ipsa actuum suorum est caussa effectrix, quippe quae vi activa gaudet, ut erudite advertit Paullus Mako *Psych.* §. 429. *Schol. num.* 3.

381. Nec sensus modo cuiusque internus, & universalis hominum consensio animae humanae libertatem adserit, sed actionum moralitas, leges, iura, & obligationes, poenae, & praemia legibus constituta eiusdem existentiam firmius demonstrant: nulla namque actionum regula umquam iure proponitur ei, qui actiones illas insuperabili necessitate ductus suo lubitu edere, vel omittere nequit. *

* Hinc Cicero. *Vbi esset virtus, si nihil a nobis penderet?* et Maimonides: *Cuique homini*, inquit, *data est libertas bonum iter suo arbitratu ingrediendi, si velit . . . Haec vero est legis, praeceptorumque columna.* Numquid enim irasci poteris horologio, si horas non indicet, aut lapidi si deorsum cadat, eamque actionem moraliter bonam, aut malam appellare, quam, undecumque perpendas, non potest non edere? *Omnis actio*, ait doctissimus Wollaston, *ut moraliter bona, vel mala dici possit, ab agente libero, & intelligente fieri debet* (1). Eiusque rei rationem reddit; *Ens agen-*

(1) *Toute action doit être faite par un agent in-*

agendo impotens eo modo, de quo loquimur, relate ad suorum actuum moralitatem, est in eodem statu, ac materia impotens, & passiva; nec aliud esse potest, quam pura machina, cui nulla umquam moralitas fuit attributa (1). Miramur ergo, libertinos, qui libertatem, Naturae leges, pacta socialia, honestatem ubique crepant, libertati esse adeo infensos. Quaenam enim, quaeso, humanis actionibus esse potest honestas, aut turpitudo; quaenam praemia, et poenae iure inflictae; quaenam denique leges ei proponi, qui nullum habet in actiones suas dominium? Mirari non sinimus, Spinozam Ethices, idest Philosophiae moralis, praecepta hominibus dare voluisse, dum eos, tamquam deorsum lapides, necessitate ferri docuit *loc. cit.*; Hobbesium civis boni officia docuisse eodem tempore, quo civem illum libertate exuit *in libro de Libertate, & necessitate*, item *apud Harris Répons. aux difficult. que form. l' Ath. sur l' existenc. & les attrib. de Dieu. Part. III.*; Helvetium moralia tractasse, quum nullam homini concesserit libertatem. *De l' Esprit Discours I. chap.* 4. Auctorem *du Systeme de la Nature* sociale quoque systema confecisse, hominique praecepta, ac dogmata moralia dare voluisse (2), dum ho-

---

intelligent & libre a fin qu' elle puisse recevoir la denomination de moralement bonne, ou mauvaise. Wollaston *Ebauch. de la Relig. Natur. Sect. I. prop.* 1.

(1) *Un être, qui est dans l' impossibilité d' agir de la maniere, dont nous venons de parler, est par rapport à la moralité de ses actes, dans le même état que la matière impuissante & passive: il ne peut être autre chose qu' une pure machine, à la quelle il n' y a point de langage, ni de Philosophie, qui aient jamais attribué de moralité.* Ibid.

(2) *Sois dons verteux, ô homme! dans quelque place que le destin t' assigne, tu seras heureux de ton vivant; fais du bien & tu seras chéri: acquires des talens, & tu seras considéré.* System. de la Natur. *Part. I. chap.* 14. *pag.* 256.

hominem caeco cuidam fato, ac insuperabili necessitati subjecit *Part. I. chap.* 14. *p.* 258. Quid, malum, suadebunt illi, cui nulli tribuunt in proprios actus imperium? At quidquid ore negant, re asserunt: dolent enim de iniuriis, proditionibus, conviciis, et insectationibus sibi illatis. Boulanger *Recherch. sur l' orig. du despot. Orient. Lettr. de l' Auteur*; id quod facere non possent, si nulla in laedentibus foret libertas. Hominem ad Naturae, suique cognitionem, atque exuenda praeiudicia perducere se velle proponunt, saeculumque philosophicum ad astra tollere, Hobbes in libro *de Cive*, Boulanger *loc. cit.*, Helvetius *de l' Esprit Préface*, Systeme de la Nature *Préface de l' Auteur*, passimque in suis operibus la Mettrie, Auctor *du Dictionnaire philosophique portatif*, Collins, ceterique Fatalistae, et Materialistae. Ecquam autem gloriam sibi adscribi cuperent, si quidquid agunt nulla voluntatis suae libertate, sed invincibili necessitate ducti agerent? Quum igitur sophismata sua hoc super argumento ipsimet factis refutarint, merito ab eorum examine abstinemus.

Scholion. In superioribus porro facultatibus, quae ad rationem vulgo referuntur, homo a brutis animantibus distinguitur, cum quibus inferiores tantum communes habet. Non abs re igitur Philosophi adfirmant, rationem, ceteraque cum ea connexa, differentiam hominis specificam a reliquis animantibus constituere. Quod nisi homo ea recte utatur, seipsum brutis simillimum reddet, omnemque humanitatem exuere dicetur.

CA-

CAPVT QVARTVM.

De animae humanae proprietatibus.

382. POstquam animae humanae facultates, sive agendi potentias excussimus, & ad examen revocavimus, proximum est, ut de eiusdem proprietatibus sermonem instituamus, spiritualitate scilicet, immortalitate, praesertim quum haud paucos invenerint oppugnatores. Simplicitas quidem animae iam supra (§. 237. *seqq.*) evidenter, ut putamus, fuit demonstrata: quousque tamen haec proprietas se extendat, nondum liquet. De hoc ergo in prima huius capitis sectione agendum: ut reliquae veritates inde fluentes in sequenti tractatione clarius elucescant.

SECTIO I.

De animae humanae spiritualitate.

383. PErceptiones, ac volitiones corporis organici actiones esse non posse, tam certum est, quam quod certissimum * (§. 240. *seqq.*); adeoque in nobis ens a corpore diversum exsistere, quod *anima* dicitur, legitima consequutione deduximus (§. 241.). Quia vero acutissimi aetatis nostrae Philosophi magno conatu maximas nugas agere student, animam-

mamque hominis materialem esse, manibus pedibusque obnixe contendunt: non abs re tractationem hanc longius protrahendam loc reservavimus, ubi primo utrum materia cogitare possit? deinde an anima aliquo modo materialis esse queat? demum cuiusnam naturae sit, disquiremus.

* Aniles ergo fabellas pueris narrat D. de la METTRIE in opusculo *l'Homme machine*, dum omnes animae actiones organice corporis structurae attribuit, quam, utpote purum accidens, vi activa destitutam esse, supra demonstravimus (§. 239.).

384. Materiam nullo modo cogitare posse, communis eruditorum omnium clamat consensus, eius natura liquido ostendit, eiusque tam cognitae, quam ignotae proprietates aperto demonstrant. Et ad primum quod attinet, neminem umquam Philosophorum legimus absurdum hoc effutisse, praeter Democritum, Epicurum, eiusque de grege porcos *, qui voluptati, ac lasciviae dediti, quoniam solis sensibus, sensibilibusque, tamquam glebae, adscripti tenebantur, nihil, quod sensibile non esset, exsistere dicebant.

* Idque clarius infra patebit. Adsunt equidem et alii, qui licet spiritualem animam admiserint, in conficienda tamen spiritus notione decepti, eo quod metaphysicis abstractionibus parum adsueverant, aliquid in eo materiae cuiusdam exilissimae, ac paene insensibilis admiscuerunt. Qui quidem quantum a recto aberrarint, ex sequentibus elucescet.

385.

385. Nec iniuria materiae cogitationem Philosophi negarunt; quippe ab innumeris super materiae natura speculationibus ad id inclinati. Quum enim materia sit ens compositum, & extensum, nempe plurium particularum aggregatum (§. 159.), cuius essentia in partium combinatione, puris scilicet accidentibus, sita est (§. 102.*): ens activum esse nequit (§. 125.). Praeterea, quia materia est iners (§. 161.), & ad motum, ac quietem indifferens (§. 109.), nullam vim habet statum suum propria virtute mutandi (§. 112.): unde sequitur, eam esse ens pure passivum, omni prorsus agendi vi destitutum*. Quumque cogitatio sit actio (§. 238.); patet, materiam natura sua, sive vi propriae essentiae cogitare non posse, eique cogitandi vim contradictorie opponi.

* Immo passivam materiae naturam omnes ejus proprietates, et attributa demonstrant: quidquid contra effutiant veteres, recentioresque Epicuraeismi propugnatores. Earum quidem quaedam compositionem directe notant, ut *extensio*, et *soliditas*, ab iisque pendentia attributa; quaedam autem passionem, ut *inertia*, aliaeque qualitates. Omnium autem compositorum naturam passivam esse ac indifferentem, nemo est adeo mentis impos, qui inficiari audeat. Quum enim compositorum essentia in partium unione, puris nempe accidentibus, sita sit (§. 102. *); nullius accidentis subiectum inhaesionis esse potest, nisi quod positionis illius varietatem, augmentum, dissolutionem, relationemve exprimat; adeoque nullam, quae in actione consistat, facultatem in se recipere potest. Omnes itaque corporis proprietates id pu-

pure passivum esse adeo evidenter ostendunt, ut communi, suoque sensui valedicere debeant, qui aliquam in eo actionem naturali, insitaque vi productam admittere audent, ac materiam aliquo modo activam esse, experientia refragante, contendunt. Quae vero contra futiles sciolorum quorumdam ineptias ea de re dicenda forent, in ipsis praelectionibus distincte proferemus.

386. Rursus, quoniam materia est ens compositum (§. 159.), omnis in ea mutatio per motum fieri debet (§. 111.); in motu vero quatuor consideranda occurrunt, idest mobile, spatium, eiusque termini, a quo corpus procedit, et ad quem tendit. At in horum nullo potest umquam concipi cogitatio *: nullam ergo materia potest suscipere cogitationem.

* Quale namque erit spatium a materia in cogitando peragratum, a quo termino movebitur, et ad quem proficiscetur? Si cogitationes, et volitiones in motu consisterent, quod concipi nequit, quonam motu res diversas, immo et oppositas, semel simulque intelligere, eodemque tempore varias quoque volitiones elicere posset? Varii motus hoc in casu orirentur, iique contrarii: unde vel materia contrariis motibus agitata quiesceret, nullaque hinc exsurgeret actio; vel ex tot confusis motibus tanta confusio oriretur, ut nullam rerum haberet cognitionem, nullus quoque idearum esset ordo, vel nexus, nullae item actiones ad nutum animae efficerentur. Deinde si actiones illae motus essent, his cessantibus cessaret motus, atque a novis motibus deleretur, adeoque nullam rerum memoriam haberemus. Tum si actiones animae motus essent, caussam aliquam externam impulsivam habere deberent: non animam ipsam, quia posita materiali, adeoque inerte (§. 119. 161.), nullum sibimet motum imprimere posset, sed alia

caus-

caussa extra se indigeret (§. 112.); non ab obiectis externis, quia per secundam Nevvtoni legem (§. 209.), omnes motus viribus caussae motricis proportionales esse deberent, et in eadem semper directione fieri; adeoque posita eadem caussa, iidem constanter sequerentur effectus. Sed hoc cum experientia pugnat: videmus enim nos ab iisdem obiectis diversimode adfici, et quandoque voluptate, nonnumquam vero taedio perfundi, unde eadem tunc adpetere, nunc aversari (§. 294.). Tandem, dum in actione aliqua anima moveretur, eius sedes vacua relinqueretur, adeoque stante una actione, nullae aliae fieri possent: id quod alias evenire sentimus; uno enim eodemque momento plurimae ab anima procedunt actiones, quae in materialistarum hypothesi fieri non possent, nisi tempore interiecto, et successive. Motus igitur, et cogitatio nullam inter se habent analogiam; ac proinde sua mole ruit totum Hobbesii systema, qui omnes animae actiones nihil aliud esse, ait, quam cerebri cordisque motum. *Leviath. Part. I. cap.* 3., cuique respondet D. Voltaire: *materiae motus nullam cum sensu*, *multoque minus cum cogitatione*, *relationem habere* (1). Immo vero maximam inter motum et cogitationem intercedere contradictionem, vel ex eo patet, quod ille ad terminum ducit externum, haec autem ad internum: scilicet in motu mobile quodvis ab uno spatii termino in alium transit; in cogitatione vero ens cogitans sibi sapit, nec cogitationes suas alio ducit, vel cum alio ente communicat.

387. Tandem, quia materia mota suum semper continuat motum uniformiter in di-

(1) *Il n'y a nul rapport des mouvemens de la matière au sentiment, encore moins à la pensée . . . & qu'on me le pardonne, il faut avoir perdu le sens ou la bonne foi, pour dire que le mouvement de la matière fait les êtres sentans & pensans.* Voltaire *Tom. XXXII. Homel.* 1.

directum, donec a caussa externa impediatur (§. 209.), motumque illum ab alia adhuc caussa exteriore accipere debuit (§. 112.): quomodo libertatem hominis sartam tectam servare possint Materialistae, non videmus. Materia ergo cogitare nequit, nec ullum umquam momentum habere poterunt inepta Epicureorum sophismata *.

* Agnovit veritatis huius evidentiam D. Rousseau, quum ait: *Natura omnibus animantibus imperat, bruta obediunt. Eamdem impressionem sentit homo, se tamen agnoscit liberum in assentiendo, vel resistendo: in hoc nimirum libertatis sensu animae spiritualitas maxime ostenditur* (1).

388. Quum ergo materia cogitans sit absolute impossibilis (§. 384. *seqq.*); quidquid autem intrinsecus impossibile est, nulla caussae cuiuscumque efficientis potentia fieri possibile possit (§. 47.): sequitur 1. ut nec ipse Deus materiae cogitationem tribuere queat; adeoque 2. ineptam es-

(1) *La Nature commande à tout animal, & la bête obeit. L' homme eprouve la même impression, mais il se réconnoit libre d' acquiescer, ou de resister, & c' est sur tout dans la conscience de cette liberté que se montre la spiritualité de son ame. Car la Physique explique en quelque manière le mecanisme des sens & la formation des idées; mais dans la puissance de vouloir ou plutôt de choisir, & dans le sentiment de cette puissance on ne trouve que des actes purement spirituels, dont on n' explique rien par les loix de la Mecanique.* M. Rousseau: *Discours sur l' inegalité parmi les hommes. Part. I. pag. 19.*

esse LOCKII *, & BVDDEI dubitationem **, nedum impudentem D. VOLTAIRE opinionem, qui, quamvis contradictionem illam clare vidisset, divina omnipotentia id fieri posse, foedissimo auctoritatis praeiudicio raptatus enunciavit ***.

* Lockius quidem nihil certe adfirmari posse putat, propterea quod non omnes materiae proprietates perspectas habemus, ideoque an inter occultas eiusdem adfectiones sit, vel ipsi a Deo concedi possit cogitandi vis, ignoramus. *De intell. hum. Lib. IV. cap.* 3. §. 6. At, quod mireris, idem Lockius *ibid. cap.* 10. §. 16. de simplicitate Dei loquens haec profert: *Qui ponit*, ait, *aeternum ens cogitans (idem tene de quovis ente finito cogitante) aliud non esse, quam compositum quoddam ex subtilissimis materiae partibus, quarum quaevis seorsum accepta cogitatione destituitur, omnem sapientiam, & cogitationem huius entis aeterni soli partium contiguitati attribuit. Verum nihil potest esse magis absurdum; quantumcumque enim particulae materiae cogitatione destitutae inter se misceantur, aut commoveantur, nihil tamen iis additur, quam nova quaedam localis relatio, per quam fieri omnino nequit, ut cum ipsis cogitatio, & cognitio communicetur* (1). Si ergo mate-

(1) *C'est là; je pense, l'idée sous laquelle ceux qui prètendent que Dieu soit materiel, sont le plus portez à se le figurer, parce que c'est la notion qui leur est le plus promptement suggerée par l'idée commune qu'ils ont d'eux mêmes & des autres hommes qu'ils regardent comme autant d'ètres materiels qui pensent. Mais cette imagination, quoi-que plus naturelle, n'est pas moins absurde que celles que nous venons d examiner; car de supposer que CETTE ETRE éternel PENSANT ne soit*

teria cogitatione destituta est, eique nihil, praeter localem partium relationem addi potest, per quam impossibile est cogitationem attribui: cur Viro clarissimo dubium supervenit, utrum materia cogitare possit?

** Io: Franciscus Buddeus eximius Eterodoxorum Theologus, et in philosophicis rebus adprime versatus *in Phil. theoret. Part. I. cap. 5. §. 28.* ad quaestionem: *sitne anima immaterialis?* dubitationem suam prodit. *Sed vero*, ait, *licet admodum verosimiliter ex cogitationibus huiusmodi quid intelligatur, pro demonstratione tamen hoc argumentum haberi nequit, cum nullam tandem involvat contradictionem, quo minus Deus substantiam corpoream cogitantem producere possit*. Ineptam diximus huiusmodi dubitationem. Nam quum materia et cogitatio sibi mutuo contradicant, ut supra iam demonstratum est (§. 384. *seqq.*), utque se mutuo destruentes simul stare nequeant (§§. 45. 87.): quamnam, quaeso, probabilitatem Lockius, Buddeusque invenerunt, unde probari saltem opinando queat, Deum materiae cogitationem tribuere potuisse (§. 144. *Log.*)? Licet enim Deo nihil sit impossibile, id de externa tantum, non de interna possibilitate intelligendum. Hoc enim non in Deo impotentiam, sed in materia recipiendae cogitationis incapacitatem ar-

---

soit autre chose, qu'un amas de parties de matière dont chacune est NON PENSANTE, c'est attribuer toute la sagesse & la connoissance de cet être éternel a la simple JUXTAPOSITION des parties qui la composent: ce qui est la chose du monde la plus absurde. Car des parties de matière qui ne pensent point, ont beau être étroitement jointes ensemble, elles ne peuvent acquerir par la qu'une nouvelle relation locale, qui consiste dans une nouvelle position de ces differentes parties; & il n'est pas possible que cela seul puisse leur communiquer la pensée & la connoissance. Locke Ess. phil. conc. l'ent. hum. *Livr. IV. chap.* 10. §. 16.

arguit eodem modo, quo circulum simul quadratum efficere nequit propter internam harum figurarum contradictionem.

*** Is in poeticis scriptionibus, fabulisque versatus, atque imaginationi indulgendo tantum adsuetus, cuncta corporeis vestit imaginibus; unde quum de animae simplicitate agitur, omnia Philosophorum ratiocinia ridet, solus tamen ei sapit Lockius. Quum enim cogitationem cum materia nullam habere relationem ostendisset *To. XXXII. Hom.* 1., adeoque impossibile esse, materiam ex se, sive natura sua cogitare; *Elem. de la phil. de Neut. Part. I. chap.* 6., Id quod cogitationis cum materia contradictionem arguit: *Lockium*, addit, *solum fuisse*, *qui contradictionem inter materiam*, *& cogitationem sustulerit*, *recurrendo ad Creatorem*, *ut qui omnia potest*, *materiae quoque cogitationem tribuere possit*. *Ibid.* (1). En quomodo Pyrgopolinices iste veteres libertinos superat in demonstranda animae materialitate. *Deus*, ait, *est omnipotens; impium ergo est potentiam Deo denegare cogitationem materiae tribuendi*. At quoniam metaphysicas lautitias ne summis quidem labiis degustaverat Poeta eximius, quidnam de rerum essentiis dicendum foret, ignorabat. Essentiae quidem entium sunt necessariae, aeternae, et immutabiles (§. 55.): non illae igitur sunt divinae omnipotentiae obiectum, sed exsistentiae. Nimirum potest Deus omnibus POSSIBILIBVS exsistentiam largiri,

S non

(1) *Locke paroit le seul, qui ait ôté la contradiction entre la matière & la pensée, en recourant tout d' un coup au Créateur de toute pensée & de toute matière, & en disant modestement,* celui qui peut tout, ne peut-il pas faire penser un être materiel, un atome, un element de la matière? Voltaire *Elem. de la phil. de Newton. Part. I. chap. 6.*

non vero repugnantibus, neque ipsorum possibilium essentias mutare. Scilicet potest Deus circulo, vel quadrato exsistentiam tribuere: non autem efficere, ut circulus quadrati, vel quadratum circuli essentiam habeat: inter circuli enim, et quadrati proprietates latum est discrimen, maxima contradictio. Itaque, quum ex eiusdem confessione inter cogitationem, et materiam adsit contradictio: nullo modo, ne divina quidem omnipotentia, fieri poterit, ut materia cogitet (§. 47.). Addit iterum: *nos non omnes materiae proprietates cognoscere. Audax ergo esset dicere, Deum, quum gravitatem, motum, vegetationem enti cuidam dederit, ei cogitationem dare non potuisse* (1). Primum omnium ex ideis, quas habemus, nos philosophari debere, communis Philosophorum clamat consensus; adeoque quum cogitatio proprietatibus materiae cognitis contradicat, nihil solliciti esse debemus, utrum in immenso possibilium, vel potius deliciorum abysso aliae, quas ignoramus, reperiri possint proprietates. Sed posito, quod materiae insint attributa, ea esse non poterunt proprietates cognitas destruentia. Si ergo materiae foret aliquod attributum, cui cogitatio conveniret, id reliquis contradiceret, eaque destrueret: nam cogitatio cum materiae essentia pugnat, ut in confesso est, ac proinde materia constaret attributis se mutuo destruentibus, essetque impossibilis (§.45.). Bene omnia expressit Cardinalis de Polignac in nobilissimo poemate *Anti-Lucretio Lib. V. v.* 1146., respondens obiectionibus factis *v.* 1011.

At

---

(1) *La pensée, il est vrai, semble n' avoir rien de commun avec les attributs, que nous connoissons dans l' être etendu, qu' on appelle corps, mais connoissons-nous toutes les proprietés des corps? c' est une chose qui paroit bien hardie, que de dire à Dieu, vous avez pu donner le mouvement, la gravitation, la vegetation, la vie, à un être, & vous ne pouvez lui donner la pensée.* Id. ib.

At si cuique rei, quae dotes funditus insunt,
Haud scimus, plerumque licet cognoscere saltem
Queis careat. Nos forte latent primordia flammae:
Ast ea compertum est aqueis distare figura,
Inque figuratum sola discrim ne poni.
Quidquid aquae, aut ignis proprium est. Miracula nondum
Omnia magnetis perspeximus: at mihi certum est,
Magnetem non esse animal, nec amoris ab aestu
Ferratas trahere, ac secum vincire catenas.

Et *vers.* 1160.

. . . . Quadrare rotundum
Nemo potest, at quadratum differre rotundo
Id norunt omnes, quidquid ex utroque sequatur.

Inde concludit *vers.* 1162.

Sic a materia mentem seiungimus, etsi
Non omnes liquido vires utriusque patescant.

Praeterea, quum cogitatio sit actio (§. 238.), facultas cogitandi inhaerere deberet substantiae vi activa praeditae (§. *eod.*). Ignota vero proprietas, quaecumque in materia latere possit, non erit substantia, sed accidens (§. 120.), nempe adfectio (§. 59.) entis pure passivi (§. 119. *): non ergo ei cogitatio competere poterit. Vel erit substantia, et tunc non poterit esse proprietas materiae, sed substantia a materia diversa, aut proprietas alterius substantiae materiae adiecta, quae necessario substantiam immaterialem pro subiecto inhaesionis exigit, et per consequens prodita est desperata Materialistarum caussa. Vides in quot absurda ruerit impudentissimus hic theatralis artifex, cui optime Philosophi aptare possent Apellis illud: *Sutor, ne ultra crepidam*. Idem responsum valet contra Auctorem *des lettres philosophiques*, qui Delphica gravitate: *Quis est ille*, ait, *qui sine temeraria impietatis nota adfirmare audeat, impossibile esse, ut Creator supremus materiae cogitationem sensumque tribuat?* Sed de his satis.

389. Quoniam igitur materia nec natu-

ra sua (§. 385. *seqq.*), nec Omnipotentis beneficio cogitare potest (§. 388.); ens autem in homine cogitans *anima* dicitur (§. 241.); consequens est, ut anima non possit esse materialis; adeoque 2. turpissimi erroris reprehendendi sint Leucippus, Democritus, Epicurus, & post eos LVCRETIVS *, qui animam humanam ex tenuibus atomis conflatam esse contendunt: multoque magis 3. amentiae arguendus sit Auctor *du Systême de la Nature*, qui romanensem potius fabulam, quam philosophicam opinionem hoc super argumento commentus est **.

* Totus Lucretii liber III. in exaggeranda animae materialitate versatur, ubi se pictorem magis, quam philosophum, impudentem potius, quam indoctum ostendit. Ait enim, animam humanam esse ex tenuibus, exilibusque atomis conflatam. *Lib. III. v.* 238. *seqq.* At hic circulum, sive principii petitionem quis non videt? Principii namque loco, quod probandum erat, adsumit, nec usquam, animam atomorum esse congeriem, ipse probavit. Nos contra, quamcunque materiae summam cogitare non posse, supra ostendimus (§. 385. *seqq.*). Videamus autem, quomodo animam corpoream esse probet phantasticus Poeta. Animam esse corporis partem ideo aserit, quia cum corpore oriatur, crescat, et senescat. Sic enim *Lib.* III, *v.* 458. errorem suum aperit.

Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, & (ut docui) simul aevo fessa fatiscit.

Sed hic alium circulum observare licet. Vnde enim Lucretio innotuit, aut ubinam ipse demonstravit, animam cum corpore nasci, crescere, ac senio confici? Respondet, quia in pueris debilis, in viris matura et perspicax, in senibus enervis est:

nem-

nempe in infantia paullatim enodatur, et per gradus eius perspicacia crescit, donec ad virilem aetatem nihil, nisi lapsum, et decidentiam, exspectet. Miramur tamen, Virum de hominis natura tam confidentissime loquentem, in physiologicis rebus fuisse adeo imperitum, quas si calluisset, novisset, id ex arctissimo animae corporisque commercio nasci, cuius ope anima ab organis corporeis, cerebrique fibris ad perceptiones suas determinatur. In infantia ergo, quum fibrae molliores sunt, nec enodatae, nervi tenerrimi, fluor nervosus paucissimus, sensationes pauciores, perceptiones vel obscurae, vel confusae, et admodum imperfectae, anima suam cogitandi, agendique vim exserere nequit, nisi quantum per fibras, et organa liceat, eademque caussa in senectute operatur, quum corpus exsuccum, nervi, et fibrae durissimae, plerumque vero paralysi adfectae: in virilitate tamen, machina iam robusta, anima quamplurimis imbuta ideis, exercitatione, ac consuetudine instructa, et in habitu constituta, facultates suas optime exercet. Addit, animam aegro corpore aegrotare, ab eiusque extremis paullatim in morte recedere, corpus vero vitiari, vel languescere, dum anima taedio aliquo est adfecta. *Ibid. v.* 460.

Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immaneis morbos, durumque dolorem;
Sic animum curas acreis, luctumque metumque;

Et *vers.* 525.

Denique saepe hominem paullatim cernimus ire,
Et memoratim vitalem deperdere sensum,
In pedibus primum digitos livescere, & ungueis,
Inde pedes, & crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.

idemque repetunt ceteri minorum gentium materialistae, praesertim Auctor *du Système de la Nature. Part. I. chap. 7.*, et Philosophus de Sansouci *Epitr. a Maupertuis, & a Keith.* His autem facili negotio respondet recens Scriptor, haec omnia evenire eadem ex caussa; quod ut concipiatur, similitudinem quamdam haud stricte accipiendam

adfert. Anima, inquit, est in corpore, tamquam gubernator in navi, ministros habens spiritus animales, nempe fluorem nervosum (§. 233.), qui eius iussa prompte exsequitur. Si navis incolumis mare placidum, sereno coelo, secundoque cursu legat, nautis gubernatori iubenti cito obtemperantibus, non poterit non tam prospera navigatione gaudere. Si vero ventus cadat, et malacia superveniat, gaudium in tristitiam convertitur, timetque, ne in procellam evadat. Surgente postmodum evento, procella ultimum navi minatur excidium. Vix gubernaculum ipse regit, frustra adversus ventos, et mare adlaborat, et adversis devius abripitur aquis. Nihil agere potest; in navi est, quam licet pro voluntate regat, quum tamen maris, et ventorum furor eius artem superat, omnia adversa perferre cogitur. Et tunc etiam, quum secunda est navigatio, omnes navis motus sentire debet, quidquid navis patitur et ipse pati, quia navi coniunctus est. Si denique navis tempestate crescente in vada, et scopulos illidatur, naufragio pereunt omnes, solus gubernator vivus evadit. En mersam navim, superstitem gubernatorem. Rursus e contrario hoc aliud agente, vel tristitia, aliove malo laborante, gubernaculum vel solum manet, vel perperam rectum: eoque casu navis iter propositum non conficit adversaque patitur. Numquid, quia tam arcta coniunctio navim inter, et gubernatorem tot vicissitudines producit, adfirmare sine insaniae nota poterimus, hunc esse illius partem, scilicet tabulatum, funem, vel aliud quidpiam eiusdem naturae? *Possunt ergo*, concludit illustris Auctor, *duo omnino distincta ita coniuncta esse, ut a se mutuo dependeant, quin eiusdem sint speciei. Ita quum entis spiritualis existentia necessario a materia distincti ex eo demonstrata sit, quod materia intelligens, & sentiens esse nequeat: mutua animae & corporis dependentia non obest, quo minus horum duorum entium realis distinctio certissima sit*. Anima quidem aegri corporis dolores patitur per legem sensationis (§. 259.); de corporis aegritudine tedium percipit,

quia

quia imperfectionem sentit (§. 283.) : livor in unguibus, extremisque corporis partibus mortis est praeludium, quia fluor nervosus ab extremis, minimisque membris recedere, atque extingui coepit, et quo crescit mechanismi perturbatio, eo minuitur vitae actio, donec viribus partium consumtis, nec ad actiones vitales amplius idoneis, anima, quum functiones suas ulterius exercere in corpore nequeat, inde recedit.

** Plagiarius iste, licet Lucretium ubique exscripserit, hic tamen magistrum in fingendo superavit. Caput hominis fritillo assimilavit, idque moleculis innumeris, velut artificiosis talis repletum esse dixit, e quorum fortuito iactu, tamquam talorum e fritillo missione, Homeri, Virgiliique poemata exsiluerint. *Part. II. chap. 5. not. 41.* At quae tanta insania excogitari potest? Caput suum cucurbitae sali tantum servando aptae comparare, nec nisi crassam principii gratuiti petitionem in medium proferre, quid aliud, quaeso, est, nisi ludere in re seria, operamque dare, ut cum ratione insaniat? Quae quum ita sint, ulterius cum hoc verborum lusore garrire idem esset, ac cum inepto ineptire.

390. Etenim si anima, ut Materialistae putant, materia foret subtilissima, ex partibus a corpore segregatis, & ad maximam exilitatem attritis, redactis, ut ceteri humores, efformari deberet. Tunc autem in minimis minima, in maximis corporibus maxima esset, eveniretque, ut obesi, & succulenti facilius, rectius, & sublimius cogitarent, quam homines macie confecti, ac studiosis laboribus attriti: id quod contra evenire quotidiana experientia docet.

391. Quomodo autem res incorporeas,

 et

et intelligibiles anima perciperet, ideasque abstractas sibi efformaret, si materialis esset? Si *tangere ac tangi*, ut idem Lucretius adseverat, *nisi corpus*, *nulla potest res*: quo pacto res ab omni sensu seiunctae, nullamque formam habentes corpoream, impressionem in anima facere possent? Ex rebus vero sensu perceptis, quanam ratione comparationem instituere, iudiciumque formare posset, non videmus. Quum enim diversae res diversis sensibus, ac temporibus percipiantur: in diversis animae partibus impressionem facere deberent, adeoque nulla inter eas collatio fieri posset; haec enim exigit, ut unum idemque ens individuum ambo percipiat, comparet, indeque eorum convenientiam, aut discrepantiam deducat *.

* E. g. Odorem rosae sentio, eiusdem formam coloremque video, caulem spinis refertum tactu comperio. Nisi anima foret simplex, et individua, res diversis sensibus perceptas diversas esse conciperemus, adeoque uni odorem, alteri formam, vel colorem, alteri vero caulem tribueremus, nec omnium earum sensationum conscientiam haberemus. Idem dicendum de imaginatione, quae sensum intimum, sive conscientiam ubique requirit. Vid. S. Thom. *Lib. II. contr. Gent. cap.* 49. Sed ne delicatulis saeculi nostri sciolis nauseam creet scholastica S. Doctoris facies, verba Petri Bayle idem repetentis adferre libet. *Hoc argumentum*, ait, *unitatis ideae proprie dictae innititur*, *quae entibus cogitantibus convenire debet*: *si namque substantia cogitans non aliter esset una*, *quam unus globus*, *nunquam totam arborem videret*. *En eius demonstrationem*. *Pictas super globo imaginare qua-*

quatuor mundi partes. Nihil in eo cernis, quod totam amplectatur Asiam, immo nec integrum flumen. Pars, quae Persidem exhibet, non eadem est, ac quae Siamum repraesentat: dextram quoque a sinistra in Euphratis tractu distinguis. Hinc itaque sequitur, ut si globus hujusmodi figuris, quibus ornatur, foret intelligendis aptus, nihil in se haberet, quod dicere posset: Ego totam Europam, totam Galliam, integram Amstelodamum, cunctam Vistulam agnosco. Quaelibet globi pars eam solum figurae partem agnoscere posset, qua tangitur. Et quia haec adeo parva foret, ut nullum integrum referret locum, frustra globo inesset cogitandi facultas; nullus enim cogitationis actus inde exsurgeret; aut saltem huius cogitationis actus ab iis toto coelo differrent, quos perpetuo in nobis experimur, totum integrumque obiectum repraesentantes: argumentum evidens, in nullas posse dispesci partes subiectum, quod in nobis obiectorum imaginibus afficitur, ut ideo corpoream, vel materialem, vel ex pluribus entibus compositam non esse, pateat, partem hominis cogitantem. Diction. Hist. crit. art. Leucippe. Remar. E. (1).

(1) *Cette objection est fondée sur l'unité, proprement dite, qui doit convenir aux êtres pensans; car si une substance qui pense n'étoit une que de la manière qu'un globe est un, elle ne verroit jamais tout un arbre, elle ne sentiroit jamais la douleur qu'un coup de bâton excite. Voici un moien de se convaincre de cela. Considérez la figure des quatre parties du Monde sur un globe; vous ne verrez dans ce globe quoi-que ce soit, qui contienne toute l'Asie, ni même toute une riviere. L'endroit, qui représente la Perse, n'est point le même que celui qui représente le Royaume de Siam, & vous distinguez un côté droit & un côté gauche dans l'endroit qui représente l'Euphrate. Il s'ensuit de là que si ce globe étoit capable de connoître les figures dont on l'a orné, il ne contiendroit rien qui pût dire,* Je connois toute l'Europe,

392. Ex quibus omnibus plane consequitur 4. quam turpissime materialismo nomen dederit, sensuique interno adverstus sit HELVETIVS *, qui animam humanam a belluina; ambas vero a quilibet materiae organicae massa non distinguens, omnes animae actiones ad duo inania verba redegit, *physicam* nempe *sensibilitatem*, & *memoriam*; quamque 5. atrabilari impetu abreptus fuerit D. DE LA METRIE, qui eamdem carpens semitam, omnes cogitationes ad unam imaginationem reducere conatur, eamque materiae organicae competere audacter adseverat **.

* Eius libellus *De l' Esprit* melius inscriptus esset *de la matière*, quidquid enim in eo occurrit, materialismum sapit, quum tamen a recentibus nostris *caput operis* κατ' ἐξοχὴν sit appellatus. In hoc ergo inter libertinos perillustri opere Scri-

---

pe, toute la France, toute la ville d' Amsterdam, toute la Vistule: *chaque partie du globe pourroit seulement connoître la portion de la figure qui lui écherroit; & comme cette portion seroit si petite, qu' elle ne représenteroit aucun lieu en son entier, il seroit absolument inutile que le globe fût capable de connoître; il ne résulteroit de cette capacité aucun acte de connoissance; & pour le moins ce seroient des actes de connoissance fort différents de ceux que nous expérimentons; car il nous représentent tout un objet, tout un arbre, tout un cheval &c. preuve évidente que le sujet affecté de toute l' image de ces objets n' est point divisible en plusieurs parties, & par consequent que l' homme en tant qu' il pense n' est point corporel, ou materiel, ou un composé de plusieurs êtres*. Bayle *Diction. Hist. crit. art. Leucippe. Rem. E.*

Scriptor suae nobilitatis oblitus, ut quanta polleret cogitandi vi, atque excellentia proderet, animam suam brutis assimilavit, hominemque ab illis sola organica structura differre edixit, nihil verens se cum putrescente materia confundere. Et ut omnes animae actiones explicaret: *Duas*, ait, *nobis esse facultates*, *aut si mavis duas* potentias passivas, *quarum exsistentia est generatim, & distincte cognita, alteram recipiendi impressiones ab externis obiectis in nobis factas, quam physicam sensibilitatem appellare licet. Alteram facultatem impressiones illas conservandi, quae memoria dicitur: hanc vero nihil aliud esse, quam sensationem continuatam, licet debilem* (1). Si quaeras: undenam in nobis proveniant passivae huiusmodi potentiae: illico respondet: *Facultates hae, quae ut cogitationum nostrarum caussae productrices considerantur, quaeque nobis sunt cum omnibus animantibus communes, quam minimum idearum numerum in nobis producerent, nisi cuidam externae organicae formae coniunctae forent* (2). Miramur hic in primis apertam in terminis contradictionem: facultates enim illas, ad quas omnem humanam redigit cognitionem, modo *potentias passivas*, modo vero *caussas* cogitationum *produ-*

S 6 *ctri-*

(1) *Nous avons en nous deux facultés, ou si je l' ose dire, deux puissances passives, dont l' existence est generalement & distinctement reconnue. L' une est la faculté de recevoir les impressions différentes, que font sur nous les objets extérieurs; on la nomme* sensibilité physique. *L' autre est la faculté de conserver l' impression, que ces objets ont fait sur nous, on l' appelle* mémoire: *& la mémoire n' est autre chose qu' une sensation continuée, mais affoible*. De l' Esprit Discours I. chap. 1.

(2) *Les facultés que je regarde comme les causes productrices de nos pensées, & qui nous sont communes avec les animaux, ne nous occasioneroient cependant qu' un tres petit nombre d' idées, si elles n' étoient jointes en nous à une certaine organisation exterieure*. Ibid.

ftrices appellat. Scire quidem cuperemus, quidnam Auctor per haec vocabula intellexerit? Communi namque Philosophorum sermone receptum est, per potentiam passivam capacitatem actionis alterius in se recipiendae indicari; per caussam vero productricem, sive efficientem, principium illud, quod per actionem suam rationem continet sufficientem, cur aliud exsistat. Inter actionem autem et passionem manifesta intercedit oppositio contradictoria. Idem ergo potentiam passivam, et caussam productricem appellare, est prima Logicae elementa nec a limine quidem salutasse. Sed ut eius imposturam magis detegamus, potentiam illam passivam, nempe capacitatem impressionum ab obiectis recipiendarum corpori humano aeque, ac belluino inesse, fatemur ingenue. Haec autem impressio in materia quantumvis organica nihil, nisi puram simplicemque mutationem per motum productam, inducere potest. Demus etiam irritationem: quid inde? quonam modo materia irritata praesentium obiectorum ideas adquiret, earumque idearum conscia esse poterit? Dicat, amabo, Helvetius, adsertaque probet: nam qui id concipere possit, nondum inventus est. Contra vero ens aliquod individuum omnes illas sensationes percipiens, earumque conscium inesse debere, supra iam demonstratum est (§. 391.): Sed posito, quod sensationes in huiusmodi impressione consistant, quamnam sensationem, vel impressionem in ideis abstractis, et incorporeis, quae nec tangi, nec tangere possunt, in earum analysi, in iudicio, in ratiocinatione umquam concipiet Helvetius; quum impressiones sigillatim fiant, nullamque combinationem, aut comparationem importent? Ineptit ergo, dum *ibid. pag.* 13. *iudicium meram sensationem esse* pronuntiat, et *pag.* 15. omne ad sensationem in homine redigit. Nec obstat exemplum trium tabularum ab eo adductum, in quorum primo rex iustus reum damnans; in altero rex clemens eumdem absolvens; in tertio reus idem societatem perturbans exprimitur, *ibid. pag.* 22.; sensatio namque solas imagines,

si-

sive signa refert; intellectus vero eorum significata concipere, atque iudicia regis iusti, vel clementis Rempublicam tuentis, vel turbantis conficere debet. Memoria vero si continuata sensatio esset, ab impressione oriri deberet, eoque casu, vel semper eiusdem rei recordaremur, vel tot impressiones invicem confusae confusos quoque motus producerent, nullamque distinctam sensationem efficerent, nullam item rerum memoriam haberemus. Sed de his plura coram.

** Auctor hic opusculum *L'Homme machine* scripsit, quod tomo III. operum suorum inseruit, ibique hominem puram machinam organicam esse docuit, omnes vero animae actiones ad unam imaginationem reduxit, quam materiae organicae competere posse autumabat: in eoque ab Helvetio discessit, quod illius sensationem in imaginationem commutavit. *Animam*, ait, *esse terminum inanem, cuius nulla habetur idea* (1). Audiamus autem quomodo id probet: *Omnes enim*, inquit, *animae facultates ita a propria cerebri, corporisque organica structura dependent, ut idem cum ipsa esse videntur* (2). Optimam sane rationem, tantoque Philosopho dignam! Actiones animae simplices sunt, sensibusque imperviae; earum effectus in corpore apparent: ecquid ergo insaniae est adserere, animae actiones idem esse cum corporis organici forma, in eoque effectum pro caussa accipere? Sed Auctorem ulterius in suis speculationibus sequamur. *Posito*, subdit, *minimo motus principio, corpora animata habebunt omne id, quod iis*

(1) *L'ame n'est donc qu'un vain terme dont on n'a point d'idée, & dont un bon Esprit ne doit se servir que pour nommer la partie que pense en nous*. L'Homme machine *pag.* 68.

(2) *Mais puisque toutes les facultés de l'ame dépendent tellement de la propre organisation du cerveau & de tout les corps, qu'elles ne sont visiblement que cette organisation même*. Ibid.

iis necesse est, ut moveantur, sentiant, cogitent, poenitentiam agant, seque uno verbo gerant in physico, & morali inde dependente (1). Primum quidem ab eo quaerimus, ubinam quaerendum est huiusmodi *motus principium?* in corpore forsan? sed quum sit materiale, adeoque iners (§. 159.) nullum mutationum suarum principium in se continet (§. 112.): in organica eiusdem structura? sed si haec sola partium combinatio est, adeoque purum accidens, nullam vim activam habere poterit (§. 125.). Principium ergo illud incorporeum erit, ac proinde animam, quam inficiatur, ipsemet admittit. Nec obstat inanis illa rotarum, elaterum, vocumque mente cassarum coacervatio: nisi enim haec, quantumvis combinatae, principium movens habeant, nihil inde sequetur. Sed demus paullisper corpori huic organico motum: numquid et cogitatio, et sensus, aliaeque animae actiones haberi poterunt? Si inter motum, et cogitationem tanta est differentia, quanta maxima esse potest, nec umquam in illo hanc concipere possumus (§. 386.), omnis eruditi huiusce labor incassum institutus est, omnesque sermones propter hoc contexti in fumum abeunt. Praeterquam quod manifesta contradictione ipsemet adserit: *in cerebro exsistere principium quoddam impetuosum, & incitans, quod imperium supra reliquum corporis exercet* (2). Huiusmodi namque prin-

---

(1) *Posé le moindre principe de mouvement, les corps animés auront tout ce qu'il leur faut pour se mouvoir, sentir, penser, se répentir, & se conduire en un mot dans le physique, & dans le moral qui en dépend.* Ibid. pag. 69.

(2) *Je veux parler de ce principe incitant, & impétueux, qu'Hippocrate appele* ἐνορμον *(l'Ame). Ce principe existe, & il a son siege dans le cerveau à l'origine de nerfs, par lesquels il exerce son empire sur le reste du corps. Par là s'explique, jusqu'aux effets surprenans des maladies de l'imagination.* Ibid. pag. 73.

principium, ut eas proprietates habere possit, activum esse debet, adeoque immateriale (119. 125.). Actiones ergo omnes in homine occurrentes soli animae, non universae organicae formae tribuendae sunt. Reliqua argumenta, quae ad probandum adsumtum coacervat *pag. 75. seqq.*, eadem sunt, ac Lucretii, quae iam refutavimus (§. 389. *). Quod autem addit, omnes cogitationes hominis ad unam imaginationem esse referendas *ibid. per tot.*, cum iis, quae ab Helvetio dicta sunt, convenit, nec adeo novae refutatione indiget.

393. Nec minus patet 6. phantasiae potius, quam rectae rationis ductu pronuntiasse March. D'ARGENS *, animam materialem esse possibilem, cuiusnam vero naturae ea sit, ignorari: licet tamen omnes dubitationes sola fide ablatas esse adfirmaverit, a qua eiusdem spiritualitas nobis ostenditur. In hac autem opinione quantum veneni lateat, emunctae naris homines advertent; & quantum absurditatis contineatur, ex superioribus abunde colligitur.

* Eruditi huiusce characterem haud difficile est conficere: unus enim est ex elegantibus saeculi nostri spiritibus, qui nimis imaginationi indulgens, nullamque rationis rationem habens, dum Cartesianismum ubique insectatur, Epicuraeismum fovet. Inter alia scriptoris huius opuscula illud est, quod inscriptum *La Philosophie du bon sens*, eodem tempore, quo nos omnia ignorare contendit, licet ignorantiam nostram fide illustratam frigido stilo subiungat, universale tamen Pyrrhonismum in hominum animos inspirat. Huius operis *Tomo II. Réflex. IV.* de animae natura agens:
Hanc,

Hanc, ait, *a nobis ignorari* §. 10., *adeoque animae spiritualitatem maioribus premi difficultatibus*, *quam materialitatem* §. 11. 11., *nec adversus hanc ullam evidentem adhucdum reperiri probationem* §. 13.: *contra vero bestiarum animas probare*, *materiam acquirere posse facultatem cogitandi* §. 14., *quae facultas quum in sensu*, & *ratione consistat duas ideo esse animae partes*, *sensitivam alteram*, *alteram rationalem* §. 16., *quarum illam extingui*, *hanc immortalitati reservatam esse*. *Ibid. Hic vero tantum de possibilitate sermonem esse*: *nam quoad exsistentiam*, *animae humanae spiritualitatem sola revelatione sciri* §. 17. Vt autem opinionis huius absurditas observetur, eius analysin instituamus. Et primo quidem, quid per *naturam animae* Auctor intelligat, scire vellemus. Si eius essentiam, haec licet a priori difficulter investigetur, a posteriori tamen facili negotio eruitur: immo ipsemet, si materialismum exuere vellet, ex duabus illis animae, quas ait, partibus totidem eiusdem facultates colligens, characteres indeficientes haberet, unde animae essentiam explicare posset. Si vero per naturam intelligat vires activas, vel cum Wolffianis principium mutationum entis internum, ex eiusdem met adsertis vim sensitivam, et rationalem animae inesse, certo deduci poterat, quae non duae animae partes dicendae sunt, sed eius diversi agendi modi. Deinde, quibus difficultatibus animae spiritualitas prematur, non videmus, quum contra materialitas in permulta absurda illidat, quae huc usque deteximus. *Posita*, ait *spiritualitate*, *commercium explicari nequit* §. 11. Sed si actionem Dei in res creatas admittit Auctor, eumque spiritum purissimum esse adfirmat *ibid.* §. 8.; eccur spiritum impurum, nempe animam humanam, ad movendum corpus organicum ordinatam, in id agere posse dubitabit? Rursus, quonam modo facultas cogitandi a materia acquiri potest? Si cogitatio cum materia contradictorie pugnat, frustra ad Dei omnipotentiam confugit Auctor (§. 47.), in eoque sibimet aperto contradicit, alibi enim materiam ens *natura sua non*

cogitans appellat (1), nec ullo modo fieri posse, ut cogitationem adquirat, contra atheos contendit. Praeterea, quum contra Cartesianos probaverit, bestias non esse puras machinas, earum animas pure materiales esse, nullis rationibus, gratuita solum adsertione concludit. Hinc ergo deducere, materiae cogitationem tribui posse, nisi nostra nos fallit opinio, est principium impudenter petere, ineptumque circulum committere. Sed ulterius hic progredi instituti ratio vetat, ideoque in ipsis praelectionibus analysin hanc prosequemur.

394. Eodem modo, animam nec substantiam materialem esse, demonstrari potest. Etenim materialis substantia, cuius naturae sunt elementa corporum, licet simplex sensibus nostris videatur, in se tamen ens compositum est (§. 113. 159.), omnesque materiae proprietates habet, adeoque & inertiam (§. 161.). Quia vero substantia cogitans, nempe anima, ens activum esse debet (§. 241.), in quo materiali substantiae e diametro contradicit (§. 121.): liquet 7. animam humanam nec substantiam esse posse materialem*; sed esse ens metaphysice simplex.

* Vt

(1) *Qu' on brise un caillou, qu' on le réduise en poussiere, & qu' on remue ensuite avec violence cette poussiere; si l' on en fait résulter quelque conception, quelque pensée, si cette poudre, cette matière non pensante, peut devenir ou produire un être intellectuel, je suis prêt a croire le systême des Athées*. La Philos. du bon-sens *Tom. II. Reflex. IV.* §. 8.

* Vt autem Materialistarum imposturam magis magisque detegamus, eorum innumeras contradictiones unico intuitu observandas hic reservavimus. Omnes quidem isti in Physicis rebus sublimem iactant cognitionem, et ab intimis Physicae principiis, undique attractionem, repulsionem, viresque motrices venditando, atheismum, fatalismum, et materialismum deducere praesumunt. Videamus ergo, quidnam in Physica, quid in Metaphysica doceant. Dum ergo 1. materiam in Physica tradunt, utpote ad varios, ad quos est apta, status indifferentem, absolute incapacem esse ex uno in alium, a quiete ad motum transeundi: eandem in Metaphysica ad eiusmodi activitatis gradum perduci posse contendunt, quo ideas, iudicia, et ratiocinia conficiat. 2. Physice loquentes extensionem, et divisibilitatem materiae tribuunt: metaphysice vero eam inextensam, et indivisibilem reddere conantur, ut modificationem inextensam ac simplicem, qualis est cogitatio, sustinere queat. 3. Omnes effectus aliquam saltem cum sua caussa efficiente relationem habere debere in Physica docent: hanc vero relationem in Metaphysica negligunt, nullam enim inter materiam, et cogitationem invenire potcrunt. 4. Physicarum rerum caussas secundas admittunt, alias necessarias, alia vero liberas: omnes vero caussae in Materialismi absurditate materiales ponuntur, orbaeque necessitati subiectae. 5. In Physica nullus casus, omnia cum suis connexa caussis: in Metaphysica saepe fortuitas atomorum concursiones, occursiones, combinationes creare videntur. 6. Physicae tractationes Deum ipsis ob oculos quotidie ponunt: in metaphysicis vero nihil tam saepius negari auditur, quam Deus. Tandem in Physica, ut Theistae; in Metaphysica ut meri Athei loquuntur. Numquid non idem est, qui physicas aeque, ac metaphysicas loquitur, scribitque doctrinas? Vnde ergo tot absurda? Non aliunde, quam ab ignorantia, praeiudiciis, novitatis amore, cordisque corruptione procedunt.

395. Substantias immateriales in spiritus, animasque brutorum dispesci, docuimus in Ontologia (§. 122.), & illos quidem esse substantias intellectu, & voluntate praeditas; has vero sensu tantum, & appetitu instructas (§. *eod.*) *. Nunc addimus, SPIRITVS esse vel PVROS, si nulli alii substantiae sint copulati; vel IMPVROS, si corporibus sint uniti. Quum ergo anima humana intellectu, & voluntate gaudeat (§§. 343. 365.), sitque corpori organico arctissime copulata (§. 246.): liquet 8. eam esse substantiam spiritualem **, eamque impuram.

* Vides hic, definitionem *spiritus* cum Leibnitio adlatam omnibus spiritibus, Deoque ipsi convenire: veterum enim definitio brutis etiam spiritualem animam tribuebat. Nimirum isti per spiritum intelligebant *ens cogitans, habensque potentiam inchoandi motum*, id vero animae quoque brutorum conveniebat, quae facultatem cogitandi, inchoandique motum habet. At quoniam hoc innumeris difficultatibus est obnoxium, ut infra dicemus: recte Leibnitius in spiritu intellectum, et voluntatem exigit, facultatem nempe superiorem, ut eum a substantia simpliciter immateriali distinguat, quae facultate tantum inferiori praedita est.

** Nec est, quod denuo obiiciant Materialistae cum March. d' Argens id, quod iam ante Ciceronis tempora fuerat dictitatum, scilicet nullo modo concipi posse, quanam ratione anima, quum spiritus sit, corpori coniuncta esse possit, cum quo nullam habet proportionem. His enim eiusdem Tulii verbis respondebimus. *Illud modo*, ait, *videto, ut Deum noris, etsi ignores & locum*,

cum, *& faciem*; *sic animum tibi tuum notum esse oportere*, *etiamsi ignores & locum*, *& formam*. Nusquam pro falso venditandum quod concipi nequit, ni tam ridiculi esse velimus, ut mentem nostram omnisciam, et veri falsique mensuram esse existimemus. Vid. §. 101. *Log. Schol. Can.* 3.

SECTIO II.

De animae humanae immortalitate.

396. QVamquam immortalitatis dogma apud omnes omnium temporum gentes, tam cultas *, quam barbaras *, communi consensione servatum fuerit: quia tamen sophistici aetatis nostrae Philosophi, ut licentiae ac libidini indulgerent, nihil post mortem hominis superesse, contra sensum humanitatis communem impudentissime docuerunt, operae pretium esse duximus, pauca quaedam de animae post corporis obitum duratione degustare, atque doctrinam hanc Religioni, honestatique adeo necessariam ab impiorum impugnationibus vindicare.

* Confirmat id omne Seneca *Ep.* 118. *Quum de animorum immortalitate disserimus, non leve apud nos habet pondus consensus hominum, aut timentium aethera, aut colentium*. Apud eosdem, narrat Macrobius, *obtinuisse tam non minus de incorporalitate, quam de immortalitate animae sententiam*. *In somn. Scip. Lib. I. cap.* 14. Idem sensisse comperimus Ciceronem, quum ait: *Quod si omnium consensus naturae vox est, omnesque qui ubi-*

ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est; & si quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sunt, cernere naturae vim maxime; verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus, *Tuscul. quaest. Lib. I. cap.* 13. Nimirum, praeter Epicurum, eiusque immundos sectatores, omnes vetustatis Philosophos idem sensisse discimus, veluti de Thalete, et Pythagora apud Laert. *Lib. I. segm.* 21., & *Lib. VIII. segm.* 3., Plutarch. *de plac. phil. Lib. IV. cap.* 2., de Socrate apud Cic. *Tusc. quaest. Lib. I. cap.* 29. 30., de Platone apud eiusdem *Phaedonem*, et *Lib. de Republ.*, de Aicinoo, Pindaro, aliisque Poetis apud Plat. *in Menone*, et de innumeris aliis apud Ciceronem, veteresque Historicos. Equidem Chaldaeos de animae immortalitate optime sensisse, testis est Stanleius *Hist. phil. Tom. II. pag.* 1128., Indos, eorumque Brachmanes mortem vocasse *nativitatem ad felicem, ac veram vitam*, testatur Strabo *Rer. geogr. Lib. XV. pag.* 715.; Aegyptios numquam in bonorum obitu flevisse, *quod in altera vita cum iis aeternum victuri essent*, scribit Diodorus Siculus *Biblioth. histor. Lib. I.*; de Gallis, eorumque Druidis auctor est Caesar *De Bell. Gall. Lib. VI.*; de omnibus tandem populis, tam cultis, quam rudibus, refert Grotius *De verit. Relig. Christ. Lib. I.*

** Ex tot tamen exemplis pauca seligemus. Nota est virorum illustrium apud Sinas, et Iapones ἀποθέωσις, exemplo veterum Paganorum celebrata. Nota est Pythagoraea μετεμψύχωσις adhuc inter Peguanos vigens. Notae sunt supplicationes in Insula Formosa, carmina moralia in Regno Siamensi facta pro mortuorum felicitate, de quibus videri poterit Banier *dans l' Histoir. gen. des cerém., moeurs, & coutum. relig. de tous les peupl. du Monde. Tom. V.* In Aracano preces Pontifici magno mortuo fundunt, ne deliciis fruens po-

populos in hoc exilio derelinquat. In Conchinchina, Indiaque Orientali dapes mortuis feruntur, indiciumque aliquod post mortem exspectatur. Mortuo rege Guineae, populus magnum subditorum numerum interficit, idemque in regno magni Monomotapae obtinere legimus, ut in altero mundo regi obsequantur. In alio quodam regno duodecim nobiles adolescentulas sorte ductas, vestibusque nuptialibus ornatas cum defuncto Rege vivas sepeliri accepimus, ut amoenam ei conversationem in spirituum regione facerent. In insula Florida servi; apud Caraibas servus, et canis; in aliis locis arma cum domino sepeliuntur. Generatim vero in universa America hanc repertam fuisse opinionem, tradit Grotius *De verit. Relig. Christ. Lib. I.* Vniversali ergo hominum consensu animae immortalitas evincitur: idque sufficere posset ad veritatem hanc stabiliendam: nam ut praeclare ait Cicero *Tuscul. quaest. Lib. I. cap.* 13. *Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.* Sed ut libertinis os occludamus, multis adhuc rationibus immortalitatis doctrinam stabiliemus.

397. Vt autem veritatem hanc adeo necessariam confirmare possimus, de immortalitatis characteribus praestruendis solliciti esse debemus. Est vero IMMORTALITAS *perpetua vitae continuatio*. Per VITAM generatim intelligimus *statum, quo quis operationes per facultates suas possibiles exercere potest*: uti per MORTEM *statum illum, quo quis, licet exsistentiam continuet, nullam vero huiusmodi potest exercere operationem*. Vita ergo animae a corpore seiunctae consistit in exercendo omnes operationes, quae per facultates suas superiores * sunt possibiles.

* Su-

* *Superiores* diximus; nam inferiores, quum tantum ab anima corpori coniuncta exerceantur, ac necessario corporis exigant unionem (§. 253. *seq.*), post corporis separationem nullum habere possunt exercitium.

398. Ex quibus definitionibus clare patet, ad immortalitatem quatuor requiri, nempe 1. exsistentiae continuationem, 2. perceptionum distinctarum statum, 3. sui conscientiam, 4. praeteritarum rerum recordationem *.

* Atque hi sunt quatuor illi immortalitatis characteres a Leibnitio, Wolffio, aliisque requisiti, quos omnes in divite inferni post mortem incola observamus *Luc. XVI. v. 22*. Huius anima in inferno sepulta erat, statum suum in mediis cruciatibus distincte agnoscebat, seque a Lazaro in Abrahae sinu gaudente probe distinguebat: unde rogabat, ut sibi refrigerium quam minimum mitteretur. Quumque obtinere non potuisset: ut fratribus saltem suis adhuc viventibus status ille nunciaretur, orabat, ne quando oscitantes in eamdem foveam inciderent. Haerebit hic aliquis forte Tiro, cur ad immortalitatem praeteritarum rerum recordatio exigatur, quum haec sit inferior animae facultas? Sed dubium evanescet, si perpendat, in homine esse quoque memoriam rerum abstractarum, quae nullam in cerebro impressionem facere possunt, et in quibus organica corporis forma nullum adfert adiumentum. Tunc enim superioribus facultatibus accenseri debet, nec a cerebri fibris, aut imaginandi facultate nascitur, sed in puro animae habitu consistit. Vnde statim ac animae quatuor haec contingere probaverimus, eius immortalitas erit demonstrata.

399. Quoniam anima humana est substan-

stantia spiritualis (§. 395.), adeoque ens simplex (§. 122.); quod non nisi per annihilationem interire potest (§. 118.): consequens est 1. ut ea naturaliter interire non possit *, 2. sed tantum in nihilum redigi. Quum autem annihilatio ab eo solum provenire possit, qui creare, hoc est, ex nihilo producere potest (§. 115.): liquet 2. animam, si annihilari deberet, a nemine, nisi a Deo, ad nihilum reduci posse.

* Confirmat id Cicero *Tuscul. quaest. Lib. I. cap. 29. In animi autem cognitione*, ait, *dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur: est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur*. Suapte igitur mole ruunt impiae Materialistarum opiniones, ac praecipue Lucretii *de nat. rer. Lib. III. v.* 843. *seqq.*, eiusque asseclae Auctoris *du Systême de la Nature Part. I. chap.* 13. adserentium, animam simul cum corpore interire, quippe quae ex absurdo materialismi principio immediate procedunt.

400. Quia vero Deus mundum condidit, ut perfectiones suas patefaceret (§. 185.); eaque manifestatio solis entibus intelligentia praeditis fieri debuit, adeoque & homini (§. 119.); ex homine autem soli animae, cui facultas inerat intellectiva (§. 343.): aperto colligitur 3. Deum ani-

animam hominis destruere nolle, alias enim haec manifestatio foret inutilis, si illa rursus in nihilum redigeretur; & tunc Deus frustra ageret, quod est absurdum.

401. Praeterea, quum Deus hominem libertate donaverit (§. 379. *seqq*), eumque legi subiecerit, quae sine sanctione haberi nequit: poenas, ac praemia manere necesse est, ut malae, bonaeque actiones debita retributione non careant. Haec autem retributio in hac vita non habetur, ut experientia docet: videmus enim malis quandoque bona: bonis mala evenire: oportet ergo 4. ut praemia illa, vel poenae post mortem corporis reserventur; ac proinde 5. infinitae Dei iustitiae repugnat, animam humanam cum corpore interire, & post huius dissolutionem in nihilum redigi *.

* Eccur autem, obiicit Lucretius, anima prope mortem queritur, tristisque exitum exspectat? Si ea esset immortalis,

Non iam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet . . . Lib. III. v. 612.

Respondemus, id ex adverso maximum esse immortalitatis argumentum: eaque tristitia in male agentibus, iisque qui pessime vixerunt, oritur a memoria non recte factorum, et a conscientiae latratibus, quae homines illos peccatorum accusat, divini iudicii idea, metuque poenarum exterret. Contrarium tamen in bonis evenit, qui memoria vitae bene ante actae gaudentes, nullius vero mali, vel culpae sibi conscii, ac divinae misericordiae fiducia erecti mortem adpetunt, ut dissolutis corporis vinculis ad summi boni, cuius

amore flagraverunt, possessionem cito pervenire possint, quemadmodum optabat Apostolus *Philip. I. v.* 23.

402. Quoniam autem Deus animam humanam cognoscendi facultate, et appetitu instruxit, ut verum cognosceret, bonum adpeteret, eique finem hunc proposuit, ad quem tenderet; ob eius vero immutabilitatem, quamdiu durat finis, tamdiu ens ad finem directum cum facultatibus suis durare vult; verum autem, et bonum summum, id est ipse Deus, aeternum durabit, ut inferius independenter ab his veritatibus demonstrabitur: evidens igitur est 6. animam humanam cum suis facultatibus perpetuo durare debere. At quia cessante illius unione cum corpore, cessant etiam ideae confusae, quae a sensu, & phantasia proficiscebantur, solaque superest pura intelligendi ac volendi facultas: sequitur 7. ut anima post mortem in statu perceptionum distinctarum maneat, vitamque suam continuet *.

* Idque Divinae bonitati, ac providentiae adprime conveniens est. Quum enim homini maximum, et vehementissimum veri bonique adpetitum inspiraverit, isque in vita omnium adpetitionum suarum obiectum undique sollicitus quaeritans nusquam, nisi per spem, eo fruatur, immo fruitionis eius desiderio excrucietur: oportet, ut tandem anima vero illo bonoque fruatur, et in eius fruitione adquiescat, si bene egerit; si vero male, bonum amissum distincte cognoscat, ac in ipsum vehementissime feratur, eaque cogni-

tio-

tione, et appetitu perpetuo excrucietur. Divinae igitur iustitiae, ac sapientiae admodum consonum est, ut anima hominis post mortem in vita sua perpetuo perseveret. Huc accedit, quod summum bonum cum adquiescentia coniunctum esse debet, sive absque ullo metu illud amittendi (§. 306.); Nisi ergo anima perpetuo duraret, metus adesset, ne summo illo suae voluntatis obiecto privaretur; adeoque divinae bonitati repugnaret, quum animae hanc erga bonum tendentiam dederit, exsistentiam ei perpetuo non continuare, vel facultatum suarum exercitium eidem suspendere, aut omnino tollere.

403. Et quia ad facultates animae superiores, & absolutas etiam suimet conscientia, praeteritorumque recordatio adscribitur (§. 398.); anima vero, quum exsistit, facultates suas a propria essentia omnino pendentes exercere pergit (§.401.): infertur 7. ut ipsa post mortem sui ipsius sit conscia, praeteritique status recordetur *.

* Idque Divinae iustitiae, bonitati, ac providentiae consonum est. Nisi enim anima suimet conscia esset, praeteritique status recordaretur, non videret, quaenam relatio inter praeteritum, praesentemque statum intercedat; adeoque nec infinitas Dei perfectiones, in quo bonorum gaudium, malorum vero cruciatus maxime consistunt, recolere et contemplare posset. Inutilis ergo esset illa animae duratio, nec praemia, vel poenae illa dicenda forent.

404. Quum ergo anima post corporis mortem in exsistentia perseveret (§.401.), facultatibus suis superioribus utatur (§.402.),

suimet sit conscia, praeteritique status recordetur (§. 403.); his autem characteribus immortalitas absolvatur (§. 398.): recte consequitur 9. animam humanam esse immortalem *.

* Huc accedit, quod nulla esset inter virtutem, et vitium differentia, immo summa confusio, nulla actionum moralitas, si anima mortalis esset, omniaque ex brevissimo vitae curriculo bona, vel mala mensurarentur; id quod omnem Naturam, et Societatem, nedum Religionem everteret. Contra vero, assidui illi conscientiae latratus crimen quodvis, licet occultum, sequentes, et adquiescentia post bonum aliquod opus patratum, quam conscientiae serenitatem appellamus, nihil aliud profecto sunt, quam intimus hominis sensus, quem de animae suae immortalitate habet.

§. 405. Ex quo theoremate rite demonstrato sequitur 10. solis praeiudiciis, nulla vero ratione ductos dixisse D. S. EVREMONDI *, & D. VOLTAIRE **, *animae immortalitatem nullo modo a ratione cognosci posse, sed eam sola revelatione sciri*. Immo in ipsa absurda Materialistarum hypothesi, etiamsi anima poneretur materialis, eam tamen immortalem esse, fateri cogerentur: quidquid contra blateret idem Voltaire ***, cui proinde omnes fere adversantur Materialistae.

* Litteratoris huiusce characterem invenies apud Le Clerc. *Biblioth. chois. Tom. IX. pag.* 322.: ubi eum nulla Theologiae, vel Philosophiae scientia praeditum fuisse leges, licet his super argumentis scribere ausus sit; nec aliam scientiarum ha-

habuisse notitiam, quam Auctorum aliquot latinorum lectionem. Is ergo sententiam suam declaravit nulla ratione *Tom. I. & Tom. III. pag.* 9.: ubi de Petronii morte plura, materialistarum sermone, disserit. Sed quia nullo ipsam modo demonstrat, nulla nobis eumdem refutandi necessitas exsurgit.

** *Lettr. XIII.* Ei tamen respondere nolumus, nisi Auctoris ipsi non suspecti verbis. Auctor ille est Marchio d' Argens, qui *dans la Philosophie du bon-sens. Tom. II. Reflex. IV.* §. 22. ratione, adserit, animae immortalitatem optime sciri. *Duo enim*, ait, *maxima immortalitatis esse argumenta. Alterum, impiorum in hoc mundo felicitatem, quae instar insomnii dissipatur* (1); *alterum, propriam animae nobilitatem, & elevationem, qua immortalitatem suam ipsa cognoscit. Impossibile enim est, Deum ens tam nobile creasse, ut solas exerceret functiones: id vero melioribus esse reservatum* (2).

(1) *L' argument le plus invincible pour l' immortalité de l' ame, c' est le bonheur & la prosperité des méchants dans ce monde. Leur felicité se dissipe comme un songe; & lorsqu' ils sont prêts à passer de cette vie à une autre, ils sentent alors combien peu ils étoient assurés de la bonté des argumens qu' ils se faisoient à eux même pour obscurcir la vérité qui cherchoit à les éclairer.* La Philos. du bon-sens *Tom. II. Reflex. IV.* §. 20. *pag.* 268.

(2) *La plus grande preuve de l' immortalité de l' ame se doit chercher dans elle-même. Lorsqu' on examine sa noblesse, sa grandeur, son élévation, on sent mieux son immortalité que par tous les argumens des Theologiens. Il est impossible que Dieu ait créé un être aussi noble, pour remplir les seules functions qu' il fait ici bas; il est réservé à quelque chose de mieux.* Ibid. *pag.* 269.

*** Is enim scribere non erubuit: *admissa animae materialitate, frustra supponi eiusdem immortalitatem, & libertatem* (1). Quid autem diceret theatralis artifex, si Lockium suum, cuius ἐπιθετον tanto studio celebravit, in ipsa absurda animae materialis hypothesi, immortalitatem defendentem (2)?

406. Ex eodem quoque fluit 11. quam male rationes confecerit D. MONTAIGNE *, qui mortem rem momentaneam appellare solitus, in eam se, ut stupidum, incidere aiebat; quapropter laborem illum brevissimum omni noxa carentem praecepta peculiaria non mereri.

* Ille quidem *Tentaminum Lib. III. cap. 9.*: *se ut stupidum in mortem mergi*, ait, *nulla eius consideratione facta* (3). Stupiditas enim est, eaque

(1) *Si l'on admet une ame corporelle, il est fort inutile de supposer son immortalité, & sa liberté*. Voltair. Mélang. philosoph. *chap. 27.*

(2) *Toutes les grandes fins de la Morale & de la Religion sont établies sur d'assez bons fondements, sans le secours des preuves de l'immaterialité de l'ame tirées de la Philosophie; quisqu'il est évident que celui qui a commencé a nous faire subsister ici comme des êtres sensibles & intelligents, & que nous a conservés plusieurs années dans cet état, peut & veut nous faire jouir encore d'un pareil état de sensibilité dans l'autre monde, & nous y rendre capable de récevoir la rétribution qu'il a destinée aux hommes selon qu'ils se seront conduits dans cette vie*. Locke, *Essai concern. l'entend. hum. Liv. IV. chap. 3.*

(3) *Je me plonge la tête baissée stupidement dans la mort sans la considerer, & reconnoître com-*

que haud minima, communi proprioque sensui valedicere, et ut sapientem se ostenderet, omnem sapientiam, et rationem parvipendere. Ratio namque, quam de hoc adserto profert, nihil est, nisi gratuita enunciatio, principiique petitio. Nullibi namque demonstravit, *mortem esse laborem per horae quadrantem absque ulla noxa, vel consequutione*. *Lib. III. cap.* 12. (1). Nec obstat, quod Petrus Coste *in notis* ostendere conetur, id in bonam pertem accipi debere: cuique enim tentamina illa legenti vera Auctoris expressio esse prodit.

407. Non moramur illos, qui Sacrarum Scripturarum auctoritatem detorquentes, iis ad animae immortalitatem impugnandam abutuntur. Quum enim ipsi sola ratione se velle pugnare praedixerint, nos quoque rationem solam ab iis exigimus. Quod si vero philosophico spiritu, ut iactant, praediti sunt: vel rationibus tantum disputare, vel semel pro semper licentiam nobis divina utendi auctoritate concedere deberent: quo facto, perpetuum haud mora silentium eis imponeremus.

---

comme dans une profondeur muette & obscure, qui m' engloutit d' un saut, & m' étoufe en un instant d' un puissant sommeil plein d' insipidité, & d' indolence. Essais de Montagne. *Livr.* III. *chap.* 9.

(1) *C' est cose trop momentanée: un quart d' heure de passion sans consequence, sans nuisance, ni merite des préceps particuliers*. Ib. *chap.* 12.

CAPVT QVINTVM.

De origine animae humanae.

408. QVamvis anima hominis, ut dictum est (§. 404.), immortalitate gaudeat, vitamque suam perpetuo continuet (§. 402. *seq.*): in dubium tamen vocari nequit, quin ea aeterna non sit. Etenim ex natura, et proprietatibus suis clare colligitur, eam olim exsistentiae suae initium habuisse. Id vero praesenti capite disquiremus.

409. Experientia discimus, animam nostram non omnia actu habere possibilia, sed in facultatibus aeque, ac cognitionibus suis, arctissimis adeo limitibus esse circumscriptam, ut ideas paullatim adquirat, nec nisi assiduo labore, studio, ac meditatione ad determinatum quemdam cognitionis gradum sensim perveniat. Patet ergo 1. animam humanam esse finitam (§. 130.), adeoque 2. contingentem (§. 141.), 3. ens ab alio (§. *eod.*), 4. creatam (§. *eod.*); ac proinde 5 non aeternam (§. *eod.* *): unde 6. nec Deum dici posse, neq Dei particulam *.

* Fuerunt in hac sententia Pythagoras, Cic. *de natur. deor. Lib. I. cap.* 11.; Stoici, Seneca *ep.* 66.; Euripides, Moshem. *in Cudwort. syst. cap.* 3. *sect.* 1. *not.* 4. §. 5.; Manichaei, S. Aug. *de Gen. ad litt. Lib. VII. n.* 7.; Priscillianistae, S.

S. Hieronym. *Tom. IV. p. m.* 642.; Spinoza *Eth. Part.* II. *prop.* 11. *coroll.*, qui tamen suo more secum ipso pugnans, *Dei intellectum*, ait, *tam essentia, quam exsistentia a nostro intellectu differre. Part.* II. *prop.* 3. Idem etiam adfirmarunt Poiretus aliique, quos proinde refutavit Buddeus *De Atheism. & superstit. cap.* 6. §. 6.

410. Quum autem anima humana sit ens simplex (§. 304.); hoc autem nec ab alio ente simplici, nec a composito, sed tantum per creationem oriri queat (§. 117.): consequens est 7. eam neque ex parentum anima, neque ex eorumdem corpore oriri posse; adeoque 8. a parentibus in filios non transfundi *; attamen 9. a Deo ex nihilo creari (§. 115.), atque corpori sufficienter organis instructo, & ad aliquas saltem vitales actiones exsequendas apto infundi **.

* Ruit ergo Tertulliani, et Apollinaris opinio tenens, animam a parentibus in filios generationis ope traduci, propagari, et quasi *per traducem* transire, unde Traduciani sunt appellati. Duo namque inde manant absurda: nempe vel animam esse corpoream; vel parentes virtutem habere aliquid ex nihilo producendi, quam Creatori tantum competere, purgata ratio docet.

** Idque rationi, ac revelationi consonum esse videtur. Rationi quidem: est enim anima pars hominis, unde ambas partes uno tempore creari necesse est; alias una pars uno, altera alio tempore crearetur, adeoque homo aliquando dimidius, aliquando integer exsisteret. At; inquies, anima hominis post mortem sola, seorsimque a corpore vivens remanet; idem ergo ante corporis exsistentiam evenire posset. Antece-

dens quidem verum est: consequens autem haud legitime ab eo deductum observatur. Vt enim in omni realitate omnem videmus adesse rationem sufficientem: nullam tamen in praeexsistentia comperimus. Nimirum anima post mortem interire nequit (§. 303.), nec in nihilum a Deo redigitur, ut retributioni asservetur (§. 401.), corporisque resurrectionem exspectat; ideoque animae duratio omnem in Divinis attributis, essentiaque sua rationem habet. Si vero ante corporis ortum sola exsisteret, quum nullam adhuc actionem edere posset, nec divinas perfectiones patefacere, aut agnoscere, eius exsistentia prorsus inutilis esset; adeoque frustra exsisteret: id quod rationi sufficienti, et Divinae sapientiae adversatur. Revelationi vero: in *Genesi* namque II. *v.* 7. legimus, Deum, postquam hominis corpus ex terra efformavit, *spirasse in faciem eius spiraculum vitae*, id est, animam in eo infudisse. Idem ergo in omnibus aliis accidere debere, ratio suadet.

411. Ex qua propositione aperto colligitur 1o. quantum absurda fuerit doctrina illa, quam pro animarum corporibus praeexsistentia venditarunt PYTHAGORAS *, SOCRATES **, PLATO ***, ORIGENES ****, aliique non pauci, quibus veterum Chaldaeorum, Aegyptiorum, Orientaliumque populorum vestigia premere placuit †; unde & μετεμψύχωσις, puerilis illa fabella, ortum duxit ††.

* Testis est Laertius *Lib.* VIII. *cap.* 1. *seqm.* 19., clarissimum hunc Philosophum in eam ivisse opinionem, ut animas doceret corporibus praeexsistentes, partim quia illae his forent praestantiores, partim vero quia indignum ipsi videbatur, Deum generationibus assistere, et eas quasi praestolari: unde primus id sensisse dicitur: *animas*

mas circulum necessitatis immutantes aliis alias illigari animantibus. Laert. *ibid. segm.* 12. Eum porro sequuti sunt Pythagoraei, ut ostendit Cudwortus *System. intell. cap.* 5. *seq.* 2. §. 7. Sed huius, aliorumque effata in praelectionibus ipsis ad examen revocabimus.

** De Socrate ita opinante testis est Plato *in Phaedone*. Solebat enim dicere, studium nostrum esse meram reminiscentiam: rogatusque, *cur tanto labore scientia adquiratur? hoc in poenam delictorum accidisse*, respondebat. Sed si omnium omnino fuerat oblitus, quanam id ratione scire poterat, non monstravit. Vid. Cicero *Tuscul. quaest. Lib.* I. *cap.* 6.

*** Is equidem *in Timaeo* animas, ait, totidem a Deo creatas, quot astra in coelo fulgebant, cuique vero animae astrum pro domicilio datum, ubi eis omnem universi naturam, legesque fatales ostendit: corpori vero copulatas, ac deinde seiunctas, quae iuste vixerint, in astrum suum regressuras, quae vero iniuste, in mulieris primum, et si iterum male egerint, in animantis corpus transmigraturas, cuius moribus similes exstiterint.

**** Vid. S. August. *de Civit. Dei Lib. XI.* 23., a quo discimus, Origenem furentem fuisse Platonicum: unde hoc systema pro totius philosophiae fundamento statuit. Dicebat enim, animas cum mundo intelligibili ante corporeum a Deo conditas: sed hoc creato, quoniam peccaverant, in corpora detrusas, velut in ergastula, fuisse. Si dicendum quidem quod res est, acutissimi isti Philosophi, quum nullis rationibus opiniones suas firmaverint, somniantes potius, quam ratiocinantes scripserunt: nam phantasiae, non rationis partus in lucem prodiderunt.

† De omnibus his legi merentur Moshemius *in not. ad Cudwort. system. intell. cap.* I. §. 21. *not.*

not. 6., et Augustinus Calmet *Diction. crit. art. metempsych.*, qui doctrinae huiusce reliquias hodienum apud Sinenses, Iapones, aliosque Orientis incolas inveniri docet.

†† Haec quidem *animarum transmigratio* apud illos sanioris philosophiae doctrina credita fuit, et a multis Philosophorum Sectis adoptata: quin et eam Pythagoras in Italiam transtulit. *Lib.* XIII. *cap.* 1. *segm.* 3. 19. Eius summa huc redibat: animas post corporis obitum in aliud statim corpus transire: et quidem viri nobilis, plebeii, vel bruti, prout in vita bene, maleve se gesserant, factaque per tot corpora transmigratione, tandem purgatas, ac delictis suis expiatas in Coelum redire perpetua felicitate potituras. Quae quum puerilia sint, confutatione non egent.

412. Ex eodem adserto recte consequitur II. quam male rationes suas confecerint LEIBNITIVS *, WOLFFIVS **, ceterique horum sectatores, qui animas humanas in primo homine uno tempore creatas, & in corpusculo spermatico, vel ovulo organico inclusas, contra propria principia, rationem, sanctamque Religionem, docuerunt.

* Eius profecto sententia *in Theodic. Part. I.* §. 91. exponitur, atque observationibus a Leuwenoekio, aliisque microscopio factis sat firmata creditur, quarum ope constare, ait, in corpusculis seminalibus exstare animalcula vermiculorum instar: unde deducit, animas, quae temporis progressu humanae forent, eodem modo, quo brutorum animae, in parentum semine corpusculo quodam organico fuisse inclusas, dum uno tempore simul cum mundo conditae fuerunt. Vid. *Act. Erud. ann.* 1682. *pag.* 321., et *ann.* 1705. *pag.* 545.;

545., ubi animas in eo statu, subdit solum *animales*, hoc est sentientes esse; ratione vero, et intellectu tum demum donari, quum homines conciperentur: Idque Dei actione, quam *recreationem* vocat, fieri putat: eiusdemque opinionis adsertores appellat Malebranchium, Bayleum, aliosque. Sed praestantissimi Viri pace, id purum putumque est somnium. Vt enim de Lewenoekii observationibus non sileamus, vermiculos illos in semine recente numquam inventos fuisse, constat ex tot eruditorum experimentis: effectus ergo sunt corruptionis, quae in materia tam corruptibili momentanea est, nisi cum Pythagora dicere velimus, materiam illam iam corruptam a corpore exire, quippe quae sanici commixta sit. Laert. *Lib.* VIII. *cap.* 1. *segm.* 19. Sed posito, quod ita sit, materia illa seminalis non est corpori semel infusa, sed a corpore profecta, immo per humorum secretionem in eo genita, quae productio materiae cuiusdam corruptionem, eiusque partium mutationem praesupponit: quidni ergo et animalcula erunt ex insectorum ovulis in corpus cibo potuque intrusis, calore, ac motu foecundatis producta, et enodata? Si namque corpuscula illa humana, et animata essent, quidnam de innumera eorum serie una effusione erumpentium fieri censet Leibnitius, dum formam organicam unum tantum, vel ad summum duo accipiunt? Naturae ergo Auctor sapientissimus tot animas, et animalcula frustra creasset, id quod divinae sapientiae, ac perfectionibus adversatur. Si vero Deus una cum mundo omnes humanas creasset animas, quaerimus, ubinam corpuscula illa organica, quae earum veluti receptacula esse debebant, asservavit? non in aere, vel terra; qnia tot saeculorum curriculo corrupta forent: non in uno Adamo, ut eius opinio esse videtur; quia hic tam innumerabili corpusculorum congerie repletus, ubi ea contineret non habuisset, vel tanta mole pressus defecisset, vel totum eius corpus huiusmodi atomorum fuisset aggregatum: eoque casu, quomodo in nepotum corpora transire potuerint, non videmus.

mus. Accedit circulus in demonstrando commissus: nam adsumit animas brutorum in parentum semine existere, id quod demonstrari oportebat, nec tamen demonstravit. Fallitur etiam Leibnitius in multiplicandis sine necessitate Dei actionibus: in eius enim hypothesi duo Dei ponuntur actiones, *creatio* nempe in mundi origine, et *recreatio* in corporis organici perfectione. Quum autem Deus per vias simpliciores, ac breviores agat: melius est, ac simplicius, Deum tunc animam creare, quum corpori eam infundit, quam prius sensitivam creasse, postea vero ratione praeditam recreare.

** In eamdem, qua Leibnitius, viam ingressus est Wolfius, censuitque animas in mundi creatione omnes creatas esse, et in corpusculis spermaticis, ovulisve organicis inclusas. Rationes Cl. hunc Virum moventes hae fere sunt. 1. *In Genesi* II. *v.* 2. habetur, Deum septimo creationis die cessasse ab omni opere, quod patrarat; si ergo ab omni opere cessavit, prius animas omnes creasse, postea vero nullum aliud opus fecisse dicendum est. Sed miramur, eruditissimum Philosophum nullo modo verum SS. Scripturarum sensum fuisse assequutum: ibi namque de speciebus, non etiam de individuis sermo est. Quid autem respondebit Wolfius ad illa Servatoris nostri verba *Ioan. V. v.* 17.: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor?* Nonne conservatio est continua creatio? et nisi Deus ea conservaret, omnia pessum irent. Operatur ergo semper: cessatio tamen illa fuit a speciebus possibilibus ad exsistentiam perductis; individua vero sub iis comprehensa sempre creat, ipsaque adeo corpora, dum in caussis efficientibus conservat vires activas, sine quibus effectus illos producere non possent. Et si litteralis interpretatio sacro textui dari vellet, Deus die septimo cessavit ab omni opere quod patrarat, non quod patrandum erat, quum tamen simpliciter *ab omni opere* dicendum fuisset, si in sensu Wolfiano accipiendum esset.

2.

2. Mundus, ait, est ens unum, cui nihil addi, vel demi potest: quod si animae post generalem creationem adhuc dum crearentur, unitatis destrueretur essentia. Non tamen vidit Wolfius, unitatem confici a specierum, non item ab individuorum aggregato. Si namque individua in unitatem ingredi deberent, corpora, quae vicissim oriuntur et intereunt, unitatis essentiam destruerent: immo mundi ipsius essentia ab ipso Wolfio tradita destrueretur, si entia successiva in illum non ingrederentur, quorum est, ut uno desinente, alterum exsistere incipiat. Vides ergo, nullam huic opinioni suffragari rationem.

*** Magnum enim Leibnitii, Wolfiique principium est *ratio sufficiens*. At eorum opinio, nescimus quo fato, cum hoc principio acerrime pugnat. Nulla namque ratio reddi potest, cur id ita se habeat: immo rationes adsunt potentissimae contrariam sententiam fulcientes (§. 410.). Etenim si corpusculum illud organicum est vere vivens, ut ipsi fatentur, per operationes animae moveri debet, et ab externis obiectis percelli, ut anima perceptiones illas confusas habeat, quas ei concedit Wolfius *Psych. rat.* §. 705. *seqq.* Quid ergo per tot saecula fecisse dicetur? cur organa nusquam creverunt, nec expedita ad perfectionem suam pervenerunt? deinde, quidnam subsidii huic expeditioni adferre poterunt actiones parentum ad speciei conservationem comparatae? aut cur per tot annorum millia corpusculum illud non putruit, nec dissolutum est, quum contra vix in lucem editum ad corruptionem tendat? Ad haec quid respondeant, profecto non habent. Huc accedit, quod sententia illa, quam revelatione fulcire conantur, Religioni revelatae adversatur. In Sacris enim Litteris virorum *Matth.* XIX. 1. *seqq.*, ac mulierum I. *Cor.* VIII. 37. *seqq.* virginitas commendatur. At in huiusmodi systemate delictum esset: nam si exsisterent animae in corpusculis spermaticis, vel in ovulis organicis, tot essent homicidae, quot caelibes, aut virgines, adeo-

adeoque caelibatus, et virginitas non virtus est, perfectio, sed vitium et peccatum esset, id quod pronuntiare nefas est. Subdit Leibnitius, non omnes animas ad hominis compositionem esse praedestinatas, sed aliquas tantum. Id vero nullam rursus habet rationem sufficientem, cur quaedam tantum in vitam venturae sint, et non omnes. Dato autem, quod sic se res habeat, nescit ergo quisque, utrum in vasis suis spermaticis, vel in proprio ovario corpuscula, aut ovula sint ad vitam praedestinata, necne? adeoque in dubio virginitatem eligens, partem minus tutam amplectitur, quum contra tutiorem eligere teneatur: id quod peccatum argueret. Accedit etiam, quod huiusmodi animae originali iaculo sauciae, earum culpa ad inferos detruderentur nullo regenerantis aquae lavacro mundatae, ideoque letalis culpae virgo, et caelebs reus esset. Omittimus decreta Conciliorum, et Ecclesiae, quae nostram firmant sententiam, oppositamque improbant, ne ab adversariis extra Ecclesiae ambitum degentibus impetantur. Videat ergo quisquis *doctrinam hanc a Theologis nostris adfirmari*, ait, *licet contraria opinio nec ratione, nec revelatione impugnari possit*, utrum Praeexsistentianorum sententia valeat, necne, ratione, et revelatione convelli. Sed longius, quam par erat, praetergressi sumus, theologicis rationibus hic ideo usi, quia iisdem armis adversarii adserta sua firmare conati sunt; alias enim rationis limites numquam transiliissemus.

CAPUT SEXTUM

De explicando animae corporisque commercio.

413. COMMERCIUM *animae cum corpore* dicitur harmonia illa, quae animam inter, & corpus intercedit, vi cuius quibusdam in corpore motibus certae mo-

modificationes in anima, & vicissim aliquibus animae modificationibus certi in corpore motus consentiunt, & coexsistunt. Ex intima hac unione plurimi sequuntur effectus, sive PHAENOMENA, quorum iam brevissimam dedimus notitiam (§. 146. *seqq.*), hic autem distinctius enumerabimus. *Commercium istud explicare* est reddere rationem admirabilis illius harmoniae, modumque illorum effectuum saltem probabilem determinare. Propositio tandem modum illum & rationem exponens, SYSTEMA EXPLICANDI COMMERCII nuncupatur *.

* Quamvis arctissima animae et corporis unio ita hominibus, quibus imperviae sunt corporis in animam, huiusque in corpus interiores actiones, sit ignota, ut praeclare dixerit Augustinus: *Modus, quo corporibus adhaerent spiritus, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est. De Civ. Dei Lib. XXI. cap.* 20.: plures tamen a Philosophis excogitatae sunt hypotheses ad modum illum probabiliter explicandum comparatae, quarum una ad veritatem propius videtur accedere, minoribus obnoxia difficultatibus; reliquae, licet Auctoribus suis arriserint, eorumque Sectatoribus imponant, longe tamen ab ea distant, et in plurima absurda ducunt. De iis ergo hic non perfunctorie agendum, et primo phaenomena in homine occurrentia, deinde opiniones illas ad trutinam revocabimus.

Commercii phaenomena.

414. Huiusmodi vero phaenomena nobis experientia, sensuque interno innotescunt.

Ex

Ea namque duce scimus 1. exsurgere necessario in anima perceptionem, quamprimum organa corporis sensoria ab obiecto externo perculsa sunt, motusque ad sensorium commune propagatus (§. 255.), eamque perceptionem huic motui esse proportionalem; 2. morbis doloribusque corporis animam quoque adfici, certoque modo languorem concipere; illo contra sano, hanc recte se habere (§. 246. *) *; 3. ex vehementi, atque extraordinaria sanguinis, fluorisque nervosi commotione perturbationem in anima, idearumque confusionem oriri: quae omnia arctissimam animae cum corpore coniunctionem evincunt (§. *eod.*).

* Id ipsum confirmat Lucretius *de nat. rer. Lib.* III. *v.* 460. *seqq.*

415. Eadem experientia edocemur 4. motus voluntarios in corpore sano, & integro ad nutum animae aptissime fieri, eosque voluntatis actibus semper esse proportionales *, 5. anima adfectibus agitata, oriri in corpore vehementiorem sanguinis, fluorisque nervosi motum (§. 208.), iisque sedatis, hunc etiam aequabilem reddi. Corpus ergo animae eadem unione devinctum quotidiana in nobis observatio monstrat.

* Et quidem in ortu, intensitate, duratione, aliis circumstantiis, animae volitiones exacte se-

sequuntur. Sic brachium erigis, erectumque tenes tamdiu, quamdiu, quando, et quomodo vis.

416. Intimam ergo, atque arctissimam corpus inter, animamque coniunctionem adesse, qua una eademque persona (§. 124.), idest homo, unaque humana natura resultat *, experientia philosophiae mater (§. 3. *Log.*), rerumque magistra docet; adeoque nemo umquam inventus est sui compos, qui eam inficiari ausus sit **.

* Idque fatetur Leibnitius *Theod. Part. I.* §. 59., et Cartesius *Medit. 6.*: ut ideo omnes voluntariae actiones non animae, corporive soli, sed homini ex utroque composito, vulgo, tribuantur.

** At non defuerunt, qui intimo sensui valedicentes in contrariam lapsi sunt opinionem. Hinc philosophorum distinctio in DUALISTAS, et VNITARIOS, quorum illi duabus hominem substantiis, spirituali et materiali, nempe anima et corpore, constare tradunt; hi vero unam in eo substantiam admittunt, suntque vel MATERIALISTAE, qui nihil praeter materiam exsistere contendunt, unde a nobis supra (§. 384. *seqq.*) refutati sunt; vel IDEALISTAE, qui homines puros spiritus, materiam vero merum phantasma esse adseverant, de quorum fanatismo egimus in Cosmologia (§. 156.).

Commercium ipsum.

417. Hanc autem animae corporisque dependentiam adparentem tantum esse, Cartesianis placuit, & Leibnitianis *. Id ve-

to, vel probabiliter saltem effectus alicuius caussa colligatur (§. 127. *Log.*) ; & ex adversariorum confessione posita ratione sufficiente ponatur rationatum, & inter utraque realis dependentia *** : liquet ergo animae corporisque dependentiam esse realem.

* Ipse quidem Wolffius ait : *In omni systemate de commercio mentis cum corpore supponendum, perceptiones rerum sensibilium in anima, & motus voluntarios in corpore eo modo oriri, ac si anima & corpus in se mutuo influerent, hoc est, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima.* Psychol. Rat. §. 537. Si ergo haec dependentia est adeo necessaria, ut ubique necessario praestrui, aut saltem pro hypothesi supponi debeat ; si praeterea ipsi quoque experientia suffragatur : cur non eam probabilem, nedum possibilem, esse dicemus ?

** Idque ex eiusdem Wolffii adserto eruitur. Ait enim *Ontol.* §. 129. *Schol.* : *Quo posito aliquid ponitur, istud eius ratio sufficiens est.* Quum igitur, positis impressionibus in corpore, ponantur rerum sensibilium perceptiones in anima ; positis quoque in hac volitionibus, motus voluntarii in illo ponantur, eaque suppositio sit ex ejusdem Wolfii confessione ubique necessaria : unum alterius rationem sufficientem continere, cum ipso Wolfio concludere debemus.

*** Vid. Wolff. *Ontol. Lat.* §. 118., ubi aperto ostendit : *posita ratione sufficiente, poni id, quod per eam potius est, quam non est*, Realem autem dependentiam inter ea intercedere, statuit *ibid* §. 851., ubi *unum ab altero dependeret*, ait, *quatenus ejus, quod ipsi inexsistit, ratio in hoc altero continetur.*

419. Porro tam delicata organorum; admirabilisque structura, eorumque cum animae sede per nervos communicatio inutilis esset, si nullus eorum in sensationibus foret usus, quem tamen maximum esse observamus: nam organorum sanitatem perceptionum claritas sequitur, illisque imperfectione aliqua laborantibus obscurae fiunt, vel eorum mechanismo, harmonicoque adparatu prorsus destructo, nullae habentur. * Quum itaque Naturae supremus Auctor nihil frustra; omnia vero ratione sufficiente, infinitaque sapientia ductus agat: vel ex hoc evidenter adparet, animae a corpore, corporisque ab anima dependentiam esse realem.

* Idque eadem experientia notum est, ut a nemine sibi aliisque attendente impugnari possit. Si ergo nulla foret animam inter. corpusque relatio, atque realis dependentia, frustra Deus tot organa, eorumque cum cerebro communicationem in homine creasset: id quod divinae sapientiae est iniurium.

420. Accedit universalis omnium hominum consensio, quam utique naturae legem esse, ait Cicero. * Neque enim ante Cartesium, & Leibnitium inventus est quisquam, qui dependentiam hanc realem esse, aut negaverit, aut in dubium saltem vocare praesumserit.

* *Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est*. Cicer. *Tusc. quaest. Lib. I. cap.* 13.

421. Cur autem anima corpori suo tam arcte unita est, ut id pro lubitu derelinquere nequeat, sed omnes cum eo dolores perferre cogitur, si coniunctio isthaec, & dependentia realis non est? Neminem enim latet, unionem adeo intimam, prorsusque necessariam sine reali rerum unitarum coniunctione, ac dependentia haberi non posse. *

* Agnovit id Cartesius *in Medit. 6. p.* 38. *Alioquin enim*, ait, *cum corpus laeditur, ego qui nihil aliud sum, quam res cogitans, non sentirem idcirco dolorem . . . . . . Sensus certe nihil aliud sunt, quam confusi quidam cogitandi modi, & quasi permixtione mentis cum corpore exorti*. Sed si anima corpori realiter, ac intime unita est, cave, animam cum eodem Cartesio esse dicas in corpore, ut nautam in navi, vel ut equitem equo insidentem, vel cum Platone ut regem in regno: haec omnia namque solum nexum, et relationem, non etiam unionem inter connexa, significant.

422. Quum ergo in explicando animae corporisque commercio saltem probabilis ratio reddi debeat admirabilis illius harmoniae (§. 413.); nulla vero eiusmodi ratio reddi possit, nisi realis inter illa connexio, ac dependentia statuatur, quae apparente probabilior est (§. 417. *seqq.*) sequitur 1. ut illud systema sit explicando commercio idoneum, quod realem illam, mutuamque dependentiam, ac rationem sufficientem actionem unius in alterum pro fundamento ponit; adeoque 2. quaecumque systemata nihil ejusmodi statuunt,

tuunt, sed omnem illam coniunctionem adparentem esse dicunt, explicando commercio esse prorsus inepta. *

* Quaenam autem ea sint, ex sequentibus abunde patebit. Triplex porro explicandi commercii adhucdum inventus est modus, 1. animam corpusque in se physice influentes; 2. Deum ipsis continuo adsistentem; 3. neutrum in alterum quidpiam producentem statuendo: quorum primus *influxus physici*; alter *adsistentiae*; tertius *harmoniae praestabilitae*, totidem systemata componentes, sunt appellati. Ad eorum ergo enarrationem, atque examen sigillatim progrediemur, eadem tamen, quae in praefatione innuimus, iterum iterumque monentes: nos opiniones tantum, non etiam opinantes, insectari, illosque Auctores, qui sententiam suam tamquam veram protulerunt, duntaxat nominare, nulla sectatorum mentione facta. Id tantum ad veritatis decus tuendum notasse sufficiet, conclusiones omnes a quocumque systemate legitime pendentes iis tantummodo imputari, quibus systemata illa imponunt, eaque ut vera placent. Qui vero eorum aliquod pro hypotesi adsumunt, dum universalem ea in re non diffitentur ignorantiam, ab huiusmodi imputatione exemti esse censendi sunt.

SECTIO I.

Systema influxus physici, sive caussarum efficientium.

423. INFLVXVM PHYSICVM appellant huius systematis adsertores mutuam actionem corporis in animam, huiusque in corpus; adeoque organorum corporeorum motus esse, aiunt, caussas ef-

efficientes perceptionum in anima obvenientium; animae vero volitiones, motuum corporis voluntariorum: inde vero omnium, quae in homine accidunt, rationem petunt *.

* Systema istud sic explicat Storchenau: *Ideae materiales*, inquit, *idest motiones excitatae primum ab obiectis externis in organo sensorio, tum nervorum ope ad sensorium commune, quae animae sedes est, propagatae, animae obiectum externum repraesentant, eamque simul determinant, ut vi sibi insita illius ideam in se excitet, atque adeo illud percipiat; unde necesse est, ut semper cum tali in organo mutatione talis in mente sensatio exsistat. Anima deinde exercendo facultatem locomotivam, cum vult, vi sua determinat fluidum subtilissimum cerebri, seu spiritus animales, ut eos in nervos, eorumque musculos influant, quorum expansione, tensione, aliisque similibus adfectionibus desideratus in membro corporis motus consequatur, id quod fieri posse ex anatomia patet. Atque inde fit, ut cum certis in mente volitionibus certi semper in corpore motus coexsistant. Psych. rat. Sect. 2. cap. 5. §. 196.* Ab hoc autem Philosopho influxus physici systema, resecatis materalibus Veterum explicationibus, ad claritatis gradum naturae propius accedentem adeo redactum est, ut nihil cum eo negotii Wolffius habeat, dum *in Psycholog a Rationali* §. 567. *seqq.* systema illud acrius, quam par esset, insectatur.

424. Quum autem systema hoc realem animae, corporisque unionem, ac mutuam dependentiam statuat (§. 423.), omnique phaenomena (§. 414. *seqq.*) adposite explicet, licet aliqua adhuc obscuritate laboret *: consequens est 1. ut id possibile sit (§. 45.), 2. longeque pro-

babile (§. 418. *seqq.*) **, 3. naturae ipsi consentaneum (§. *eod.*), 4. ab ipsis adversariis, saltem pro hypothesi admissum ** ; adeoque 5. explicando animae corporisque commercio adcommodatum §. 422.) ****.

* Negari quidem nequit, obscuritatem non minimam in systemate influxus physici reperiri, nam licet communi Philosophorum consensu spiritibus facultas movendi corpora tribuatur, quonam autem modo id fiat, inter ignota reponitur, quum satis impervia nobis sit spirituum natura, corporumque viventium, cerebri praecipue, mechanismus. Nemo enim viventia adhuc corpora umquam dissecuit, atque ad analysin revocavit, nec si fecisset id aliquis, operae pretium consequi potuisset, perturbato mechanismi aequilibrio, ablataque per sectionem corporis harmonia. Solius ergo cadaveris, sive corporis mortui, structuram Anatomia docens, nos difficultatibus implicat, non vero tot tantisque, ut influxum physicum merum phantasma cum Wolffio, vel contradictorium cum quibusdam appellare possimus. Quamvis autem hic corporis in animam, huiusque in corpus agendi modus sit ignotus, atque ignorantia haec ab idearum defectu pendeat, non ideo impossibilem eum appellare licet; nam ad demonstrandam, vel saltem adserendam in terminis contradictionem requiritur, ut termini, inter quos adesse dicitur contradictio, noti sint, rerumque ab ipsis expressarum natura innotescat. Ridicula ergo praesumptio esset adsere, modum illum, quia percipi ab homine nequit, esse impossibilem. Vid. §. 101. *Log. Schol. can.* 3.

** Sed ut omnem Occasionalistis aeque, ac Harmonistis contra influxum physicum declamandi occasionem auferamus, systema hoc ad evidentiam usque proferemus, ut rationi suppetias experientiae ferenti adsensum praestare non erube-

bescant. Maximam quippe difficultatem in horum animis ubique movit una ratio, quia concipi nequit, quomodo anima ab ideis materialibus in cerebro impressis ad efformandas, percipiendasque obiectorum imagines determinari, corpusque ad varios motus ad voluntatis nutum producendos determinare possit. Rem itaque adeo inconceptibilem haud difficulter concipiemus, si animae motusque naturam, non phantasiae, sed rationis ductu perpendere velimus. Nimirum anima ens simplex est immateriale (§. 395.), cuius essentia in vi activa consistit (§. 119.), quae vis, non in cognoscendo dumtaxat ac volendo, sed et in corpore movendo se exserit (§. *eod.* *), quum corporis particulas adgrediens eas versus aliquod spatii punctum urget, motumque producit. Verum quidem est, vis huiusce communicationem sensibus imperviam nulla ratione ab hominibus sensationi atque imaginationi tantum adsuetis adverti posse: quum tamen vis illa simplex sit, intelligi debet, non etiam inferioribus cognoscendi facultatibus subiici; idque ex alia adhuc ratione, quod licet in corporum conflictu motuum distributionem, communicationemque dispiciamus, modum tamen, quo motus imprimitur, viresque ex uno in aliud transeunt, non videmus, eumque libenter inter naturae arcana referimus. Praeterquam quod, ut alibi observavimus (§. 109. *), motus idea sensibilis alia est, et concreta; alia intelligibilis, et abstracta. Illam sensus gignunt, qui corporis tantummodo transitum ex uno in alium locum percipiunt, eamque ab ideis mobilis et spatii adeo inseparabilem, ut ab iis seiungi nequeat, sitque prorsus relativa. Hanc contra sensus transcendentem intellectus solummodo percipit, eam vero ab omni alia abstrahens in una vi consistentem advertit, et contemplatur. Licet ergo nulla sensibus huiusmodi virium communicatio obversetur, intellectui, rationique virium exsistentia, earumque ab entibus immaterialibus, materialibusve in corporea transitus, permeationes, actiones innotescant. His ergo rite perpen-

 sis,

sis, quaenam amplius difficultates in physico influxu occurrere possint, non videmus. Et ut de sensationibus quaedam obiter attingamus, id in mentem revocare iuvat, quod supra (§. 258. **) diximus, in sensatione scilicet animae perceptionibus quatuor corporis modificationes anteire, mutationem nempe in organis factam, oscillationem in nervis adiacentibus sequutam, motum in fluore nerveo productum, ideamque materialem in cerebro excitatam. Vides hic, omnes in corpore mutationes solo motu confectas animae in cerebro exsistenti (§. 245.) notas esse debere, non quod motibus illis ullo modo percellatur, sed quia vires motuum illorum caussas immediatas, utpote intelligibiles percipit, sibique repraesentat. Quumque idearum materialium in motu consistentium cognitionem habeat, nihil profecto impedimento esse potest, quo minus anima suarummet perceptionum conscia ideas, sive imagines immateriales materialibus, adeoque et obiectis conformes sibi cudat, easque percipiat. Atque in hoc corporis influxus in animam, huiusque a cerebri modificationibus determinatio sita est.

*** Wolfius enim *Psych. Rat.* §. 537. haec habet: *Perceptiones eodem modo oriuntur, ac si corpus in animam influeret; & motus voluntarii eodem modo consequuntur, ac si anima in corpus influeret, per demonstrata &c.* Idem sensit Cartesius, quem influxus physici systema non reiecisse, sed emendasse, scribit eius discipulus Lud. de la Forge *in adnot. ad Cartes. libr. de homine*: influxum enim defendit multis in locis, praecipue *Part. I. ep. 29.*, item *Part. II. ep. 6. num. 4.*, ubi quibusdam difficultatibus respondens: *Quod autem*, ait, *mens, quae incorporea est, possit corpus impellere, nulla quidem ratiocinatio, vel comparatio ab aliis rebus petita, sed certissima, & evidentissima experientia quotidie nobis ostendit; haec enim una est ex rebus per se notis, quas, cum volumus per alias explicare, obscuramus.* Rur-

sus *Part. I. ep.* 69. ad Henricum Morum scribens: *Ut non dedecet*, inquit, *hominem philosophum putare, Deum posse corpus movere, quamvis non putet Deum esse corporeum: ita etiam eum non dedecet aliquid simile de aliis substantiis iudicare.* Videatur quoque Leibnitius *in Theodic. Part. I.* §. 60.

**** Naturalem huius systematis demonstrationem dabit sequens experimentum, quod quisque pro lubitu in se repetere potest. Ponamus hominem cogitabundum, multas in mente ideas excitare, multa quoque reminisci nitentem. Solitudinem hic quaerit, oculos claudit, caput brachio imponit, dumque memoriam non adeo felicem invenit, frontem frictitat, caput scalpit, oculis nictitat, ac veluti anima de fibrarum cerebri duritie moesta, eas flexibiles reddere conatur, in easque quasi irruit, ut ideas materiales, earumque adsociationes excitent. Si corpus in animam physice non ageret, nullum solitudinis, oculorumque clausorum foret subsidium, nulla necessitas: si vero anima in corpus non influeret, profecto omnes illi motus voluntarii celerrime, atque exactissime non fierent. Nec obstat, quod aiunt, nullam animae structurae cerebri esse scientiam: conatus enim illi sufficienter ostendunt animae actionem in corpus, huiusque in illam actionis conscientiam, licet, quaenam cerebri structura sit, clare non sentiat. Miramur tamen Leibnitianos, qui omnis possibilitatis fontem in Divina omnipotentia ponunt (§. 46. *), hic haerere: quid enim obstat, quo minus influxum hunc possibilem (*per num.* 1.) Deus statuerit, eumdemque talem effecerit, qualis certa, ac constanti experientia, sensuque intimo nobis innotescit? Nec minorem admirationem excitant Cartesiani, qui Dei, spiritus licet purissimi, actionem in corpora admittunt, animae vero, quae spiritus quidem est, sed tamen impurus, negant, et contra Cartesii sui (*not.* 2.) sententiam loquentes, eius ductu ratiocinari credunt. Plura, quae

super his dicenda forent, in ipsis recitationibus adferemus.

425. Quamvis vero plurima contra hoc systema Leibnitius *, Wolffius **, Bulffingerus ***, aliique agglomerarint ****: ea tamen nullius momenti esse quisque deprehendet, qui rectam rationem cum evidenti experientia in consilium adhibere didicit.

* Leibnitius profecto *in Act. Erud. Tom. VII. Suppl. Sect. 2. pag. 500. Princ. phil. theor. §. 15.*, et cum eo Gottl. Hanschius hanc difficultatem movent. Influxum physicum, aiunt, animae simplicitati, et immortalitati officere. Simplicitati quidem: nam anima monas est, et ab alia monade alterari nequit, nec augeri, minui, aut motum intestinum concipere; immortalitati vero, quia a corpore separata nec cogitare, nec vivere posset. Haec, aliaeque obiectiones sunt nihili, nec ad destruendum influxum physicum aliquid conferunt. Quamvis enim in ente simplici motus intestinus inesse non possit, quia partibus caret; aliae tamen mutationes in eo sunt possibiles, et quidem perceptiones, et adpetitiones ab eodem Leibnitio modificationes, sive mutationes animae cognominatae. Quum autem cerebri modificationes animam ad eliciendas vi sua perceptiones determinant, in ea non motum, sed internam aliam mutationem producunt, quae mutatio a vi animae ipsius pendet, non vero a corporeis motibus, qui caussa potius impulsiva, vel determinans dici debent: adeoque influxus physicus non obstat animae simplicitati. Quod ad immortalitatem demum attinet, sufficiat Ciceronis verbis respondere: *Ea profecto*, inquit, *tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum quo natura fert liber animus pervenerit: nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum*

a cor-

a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis, concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo: cum autem nihil erit praeter animum, nulla res obiecta impediet, quo minus percipiat quale quidque sit. Tuscul. quaest. Lib. I. cap. 20. Praeterea suae opinionis oblitus erat Leibnitius, qua animabus corpore crassiori exutis, non defutura corpora subtiliora contendit, de qua coram aliqua dicemus.

** Obiicit primo Wolffius, et post ipsum plurimi. Influxum physicum nullum esse, ac terminum inanem: nam licet mutuam animae corporisque statuat actionem, eius tamen modum ignorat. *Psych. Rat.* §§. 573. 583. Videmus autem hic clarissimum hunc Virum, turbamque post eum acclamantem fallacia peccare, quam *elenchi ignorationem* Scholastici vocant, et in logomachiam incidisse, a statu quaestionis recedendo. Quum enim de caussa tam arcti corpus inter, animamque commercii agatur, quaeraturque, *qui fiat, ut certis in corpore impressionibus certae in anima perceptiones; certisque huius volitionibus certi in corpore motus respondeant?* et ab Influxistis reponatur: *id evenire, quia corpus in animam, & anima in corpus physice agunt*, licet huius actionis modus ignoretur, nullum systemati vitium affertur. Sed nec harmonia praestabilita ab eo adserta, nec adsistentia a Malebranchianis tanto conatu promota adeo evidenter probatae sunt, ut modus pateat, quo clarius explicari systemata possint, nec ideo ea, ut inania, reiecerunt. Non est igitur, quod Occasionalistae quidam sententiam hanc rectae rationi magis consonam, ingenuoque Philosopho dignam. prava consuetudine, quia solidis rationibus eam refellere nequeunt, perridicule rideant. Addit 2. in physico influxu naturae ordinem turbari, nec eamdem servari virium vivarum quantitatem, quia vis aliqua motrix materiae inhaerens in gratiam animae perit, vel aliqua oritur, quae antea non erat. *Psych. rat.* §. 576. *seqq.*, idque primum a Carte-

sio, ait, observatum. Praetermittimus quidem celebrem illam Cartesianos inter, et Leibnitianos quaestionem de viribus motricibus, et lectorem ad ea, quae in Ontologia (§. 119.), et Cosmologia (§. 161.) dicta sunt, remittimus. A Wolffio tamen quaerimus, qui fiat, ut vis aliqua in materia oriatur, et pereat? Pulsato corporis organo, motus oritur in nervis, et ad cerebrum usque propagatur, ubi facta simili impressione, fluor nervosus motum suum cum cerebri fibris communicat; eumque per Dynamicae leges amittit, vel ab iis repulsus regreditur; impressione illa mens ad perceptionem determinatur: ubinam, quaeso, est iactata illa virium amissio? Rursus anima vi sua locomotiva fluori nervoso motum imprimit, et cum materia natura sua inerte motus ille communicatur. Deberet ergo in Physicis esse admodam tiro, qui materiam a spiritu moveri posse, negare audeat. Sed reponitur, in quo consistat illa mentis determinatio ad obiectum percipiendum? respondemus, in huiusmodi corporis organici situ, ut anima obiectum praesens sibi repraesentare queat. Nec id a Wolffio in dubium vocari posse credimus, quum animae vim universi repraesentativam pro situ corporis organici ipse tribuerit. *Psych. rat.* §.66. *seqq.* Insistunt denuo: cur anima immaterialis materiam movere potest? In mentem tamen revocent hi, vim nihil materiale continere, sed esse realitatem ab immateriali in materiale transfusam: adeoque nulla superest contra influxum physicum difficultas. Praeterquam quod, ut Cartesius acute observavit, si Deum materiae motum imprimere posse adversarii non diffitentur, cur non idem de aliis spiritibus adfirmabitur?

*** Duo sunt, quae urget Bulffingerus: alterum *in Dilucid. philos.* §. 327. his verbis: *In quocumque entium genere*, ait; *effectus non est semper tantus, quantus serio intenditur, ibi datur proportio inter vires ad effectum adplicatas, & quantitatem ipsius effectus . . . atqui vires animi, & corporis motus sunt quoad proportionem incompa-*

ra-

rabiles: ergo effectus, quales in corpore movendo experimur; non procedunt a viribus animae. Cui quidem respondemus, *proportionis* vocabulum duplici sensu accipi posse, vel nempe pro comparatione duarum rerum eiusdem generis, et in hoc sensu nulla generatim inter quamcumque caussam, et effectum potest esse proportio: nam ex eiusdem Bulfingeri sententia perceptiones, et adpetitiones sunt effectus animae, licet non ad eamdem cum ea unitatem referantur; vel pro vulgari proportione geometrica, quae rerum comparatarum homogeneitatem non requirit, et tunc optime adest inter caussam, et effectum proportio: videmus enim ex debilibus obscuriores, ex fortioribus sensationibus clariores perceptiones in anima oriri, et vicissim ex maiori virium intensitate maiorem in corpore motum produci. Alterum proponit *in Tract. de harm. praest.* §. 37. *seqq.*, Ait enim: posita corporis actione in animam, effectum haberi viribus caussae maiorem, quum contra aequipollere debeat viribus caussae integris; effectus enim corporis nostri viribus respondens aliud non est, nisi motiones cerebri. At influxus systema nondum intellexisse videtur Vir eruditissimus. In hoc enim nullus alius effectus corpori tribuitur, nisi cerebri motus, et impressio: anima vero ab huiusmodi impressionibus admonita perceptiones vi propria efficit. Purus enim putusque emergeret Materialismus, si ideae in mente produci a corporis motibus dicerentur: id quod Influxistis ratione utentibus nondum in mentem venit. Nullibi ergo habetur effectus sua caussa maior, sed eidem plene aequipollens, ut ipse cupit.

**** Aliam adhuc difficultatem movent alii, contenduntque animam ab ideis materialibus ad ipsarum perceptionem non determinari, quia earum inscii sumus, nescimusque partem cerebri motam, modumque, quo movetur; ergo nec ad perceptionem rerum sensibilium ab iis determinatur. Hos autem ad §. 19. *seqq. Log.*; et §. 337. *huius* remittimus, ubi a maiori, vel minori at-

tentionis gradu claram, vel obscuram ideam enasci; fortiorem vero sensationem ad se attentionem revocare, et ab aliis avocare docuimus. Si ergo anima cerebri motiones non advertit, nec earum est conscia; non est perceptionis absentia, sed obscura perceptio orta ab attentione ad obiectum sensibile, quod nunciant, conversa, unde clara huius perceptio obscuram ideae materialis reddit perceptionem, ideoque obiecti, non ideae materialis anima est conscia, eodem modo, quo obscuram adquirimus ideam nuncii nobis amicum, vel aliquid novi adesse dicentis, quippe ad rem nunciatam visendam accurrimus. Anima igitur ideas materiales, ut obiectorum sensibilium imagines clare, ut cerebri motiones obscure contemplatur, haecque perceptio statim cum illa confunditur, unde illius tantum conscientiam habemus. Vid. Malebranch. *Rècherch. de la vérit. Livr. I. chap.* 10. §. 5. Manet ergo inconcussa, et ab adversariorum obiectionibus illaesa influxus physici hypothesis, quam non immerito prae ceteris probabiliorem haberi debere, ex aliarum absurditate evidentius adparebit.

SECTIO II.

Systema adsistentiae, sive caussarum occasionalium.

426. SYstemmtis huius (si modo systema dici possit) summa est: Omnes creatas substantias vi agendi esse prorsus orbata; solum autem Deum hac virtute pollere: hunc ergo veram omnium rerum esse caussam efficientem; cetera entia tantum caussas occasionales, quippe quae occasionem Deo praebeant effectus quoscumque producendi. Deum ergo, aiunt, oc-

occasione impressionum ab obiectis externis in organa sensoria factorum, propria actione producere sensationes in anima, motiones autem conformes in corpore occasione volitionum animae: idque secundum legem generalem a se statutam, unde tota humana pendet harmonia. * Quae quidem opinio, quia Deum animae corporique perpetuo adsistentem ponit, systema ADSISTENTIAE; quia vero caussas secundas nihil, nisi occasionem Deo praebere affirmat, CAVSSARVM OCCASIONALIVM appellatur.

* Hoc systema Cartesio vulgo tribuitur, quem tamen influxistam potius fuisse vidimus supra (§. 424. **): verius tamen Malebranchii est, qui Cartesii dogmata multis in locis deformavit, et fanatismo abreptus, nodum illum nullo modo solvere valens, gladio recidit, et ad Deum confugit. Commercium ergo exposuit, non explicavit in opere *De la recherch. de la verit. Livr. VI. part. 2. chap.* 3. §. 38., feminas, pueros, vulgumque imitatus, qui dum rerum naturalium caussas invenire, ac explicare nequeunt, ad miracula confugiunt. Huius autem opinionis ratio reddi creditur ex eo, quod doctrinae *de Gratia* in Theologia explicandae sit apta: unde non modo Malebranchio, qui Teologiam profitebatur, sed omnibus paene Galliae Theologis arrisit. Sed aliis elateribus doctrinae revelatae indigent, quam miserabili hoc fanatismi fulcro. Nec huic opinioni cudendae primus operam navavit Malebranchius: iam enim pridem Stoicis fuerat in deliciis, quorum hoc erat effatum: *Nihil fieri posse sine Deo; nec ullam vim esse Naturae, ut sui dissimilia possit efficere.* Cicero *de Nat. Deor. Lib. III. cap.* 9., qui proinde acriter a Tullio vapularunt dicente:

te : Magna stultitia est , earum rerum Deos facere effectores , caussas rerum non quaerere . De Divin. Lib. III. cap. 26.

427. Quum autem caussae creatae vi activa praeditae sint (§. 31. *seqq.*), eamque vim a Naturae Auctore acceperint (§. 197.), ideoque organicam structuram tam affabre efformatam corpus prae se ferat (§. 419.), quae alias inutilis esset * : consequens est 1. hypothesin hanc totum animae corporisque commercium destruere **, 2. realem eorum, mutuamque dependentiam tollere (§. 417.) adeoque 3. commercio explicando prorsus ineptum esse *** (§. 422.).

* Si namque animae perceptiones, corporisque motiones Deo sint referendae, nullius umquam usus esse poterit mechanica corporis structura ; posset enim Deus animae obiecta exhibere, eorumque ideam ei infundere, nulla organorum sensoriorum, vel saltem admirabilis eorum cum cerebro communicationis, necessitate accedente ; posset etiam corporis partes aptissime movere, nullo fibrarum, musculorum, nervorum, tendinum, aliorumque solidorum usu eodem modo, quo planetis motum impressit, ac montes ab uno in alium locum tranferre potest.

** Nimirum *commercii* vocabulum unionem intimam, mutuamque dependentiam indicat. Quaenam autem unio, vel dependentia esse poterit duabus substantiis, quarum una in aliam non influit, suoque opifice opus habent, ut suas edant operationes ? Erunt ergo in hac hypothesi duo entia separata supremum Naturae Auctorem sui ministrum habentia, adeoque de commercio actum est.

*** Qui

*** Qui namque commercium destruit, id non explicat. Praeterea systema commercium explicans debet realem inter corpus, et animam statuere dependentiam (§. 422.), harmoniaeque rationem saltem probabilem reddere (§. 413.): haec autem hypothesis falsa est, et improbabilis: falsa, quia dum animam per *ens cogitans* definiunt, omnem ei cogitandi vim auferunt; et dum substantiam esse dicunt, eam vi activa spoliant, adeoque contradictoria loquuntur: improbabilis; undenam enim didicerunt, caussas creatas nulla vi effectrice praeditas esse? Principium ergo precarium est. Ab iis vero quaerimus, cui usui sint caussae naturales a Deo positae: caussae secundae sunt, respondent. Vim ergo, subsumimus, a caussa illa prima participaverunt, adeoque realiter agunt. Negant hoc Occasionalistae, reponuntque caussas huiusmodi secundas esse tantummodo occasionales. Sed in quo *occasionalitas* ista consistat, explicatum volumus. Vel enim caussae creatae vi activa prorsus orbatae sunt: et in hoc casu, ut obiecta in organis sensoriis impressionem faciant, Dei ipsius ministerio opus habent, adeoque Deus Deo dat occasionem obiectorum illorum perceptiones in anima producendi, id quod in Deo tantam admittit actionum multiplicitatem, ut ipsum solum agentem, cetera entia pure passiva, adeoque inutile omnium entium mundanorum systema ponat: vel sunt pura instrumenta in manu Dei, eoque casu inutilia sunt. Vid Baylei responsio ad Clericum super Natura genitrice *Dictionn. Hist. Crit. Tom. I. la vie de Bayle pag. 86. n. 1705.*

429. Deinde 4. hypothesis haec maximam Enti supremo iniuriam infert, quum eius ſtatuat ab homine dependentiam *, eum ad mirabilia quotidie patranda, nulla accedente necessitate, adigat **, eumque reddat peccati auctorem ***, vel saltem ad id physice, & positive concurrentem ****.

Vo-

Vnde sequitur 5. eam tamquam impiam, & Divinae sapientiae sanctitatique adversam, esse reiiciendam.

* Si namque Deus, positis animae volitionibus, corporis membra moveat, datis vero corporis motibus, animae sensationes producat, tunc quot animae volitiones, corporisque motus, tot erunt Dei actionum rationes sufficientes; ac proinde ab iis hominis actionibus Deus pendebit, eique ministrabit, quo nihil absurdius potest concipi.

** Mirabilia namque sunt, quae immediata Dei actione fiunt: sine necessitate vero fierent, quia quum potuisset per vias simpliciores, ac breviores procedere, unaque operatione caussas creatas vi activa instruere, sibi continuo agendi necessitatem reservaverit. Nec suffragatur Malebranchio, quod *loc. cit.* §. 15. subdit: *concipi non posse, Deum posse communicare cum hominibus, aut Angelis potentiam quam habet movendi corpora; ac certe qui existimant potentiam, quam habemus, movendi brachium esse veram potentiam, debent fateri, Deum posse etiam communicare cum mentibus potentiam creandi, annihilandi, faciendi omnia possibilia &c.*: hic enim in circulum decidit Vir profundissimus, quum potentiam movendi corpora incommunicabilem esse gratis assumserit. Contra vero potentia illa nihil obstat, quo minus cum aliis substantiis a Deo communicari possit, non autem potentia creandi, vel aliae, quae sunt cum limitatione rerum creatarum incomparabiles: ens enim contingens his potentiis accipiendis incapax, et ineptum est; non vero illis, quae cum contingentia simul stare possunt, utpote quae non in substantiis possibilibus ad exsistentiam perducendis, sed in modificationibus in substantiis exsistentibus producendis versantur. Vrgent autem Malebranchiani, illud mirabile, vel miraculum dici non posse, quia secundum leges ordinarias a Deo statutas. Sed praeteri-

terquam quod caussarum secundarum creatio esset inutilis, si agere non possent: quaerimus: leges sunt a Deo sibi ipsi impositae, an caussis creatis? Si primum: nulla ergo erit Deo libertas, quia legum immutabilitas eum necessitati subiicit, insurgerque fatum Stoicum, de quo in Theologia Naturali sermo erit. Si alterum: caussae ergo creatae secundum leges illas agentes effectum producunt, adeoque influxus physicus ab iisdem adversariis magis magisque firmatur.

*** Et quidem peccatum est transgressio legis, id vero voluntatis est actus motibus corporeis ad perfectam consumtionem perductus. Primo ergo, si voluntas est impressio, et motus animae ad bonum tendens, ut ait Malebranchius *Ibid. Livr. I. chap.* §. 2., vel adpetitus rationalis, ut Malebranchiani quidam Wolffium sequuti scripserunt: omnes voluntatis actus erunt necessariae distinctarum repraesentationum consequutiones (§. 363.), quae quum ab intellectu abstractionis ope (§. 32. *Log.*) ex ideis singularibus efformentur (§. 29. 30. *Log.*): patet voluntatis actus a sensationibus mediate pendere; nisi dicere malimus immediate, quum legis transgressio ab adfectuum praedominio voluntatem a vero bono distrahentium derivetur, ut cuique patet. Si ergo Deus sensationes in homine produceret, caussa peccati aliquanto remota, hoc est eiusdem auctor esset. Si vero corpus moveret, pravos voluntatis actus ad maturitatem perduceret, ac denuo ipse auctor peccati foret: adeoque nec animam, nec corpus aeternis cruciatibus addicere sine iustitiae detrimento posset. Qua adsertione nihil concipi potest magis impium.

**** Malebranchiani quidem, utpote Theologiam profitentes, eam ubique iactant, sanctamque hanc disciplinam erroris sui clypeum facere conantur, et quasi de orbe quodam ignoto sermo sit, aiunt superiorem difficultatem Theologiae hospitibus negotium facessere. Contendunt enim, omnem

omnem moralem malitiam a voluntatis actibus repeti debere, ac de eo satis supra (*not.* 3.) sermo fuit, corporis vero motus esse prorsus indifferentes, et nec bonitatem, nec malitiam continere, nisi quantum a pravae voluntatis imperio pendent: eos vero physice a Deo produci, ab omnibus Theologis uno ore adfirmari. Totum autem hoc enunciatum falsum esse, quisque videt: nam si de corporis motibus loquamur ii pravos voluntatis actus ad effectum perducunt, adeoque quia ad imperfectionem hominis tendunt, mali sunt (§. 289.). Idque adeo verum est, ut Deus malorum hominum non animam tantum, sed et corpus ipsum aeternis suppliciis afficiat *Matth. X.* 28. Falsum quoque est, Theologos omnes adfirmare, motus corporeos physice a Deo produci, si Gallorum multos excipias Malebranchio, tamquam glebae, adscriptos: ceteri namque influxus physici sistema pro fundamento ponunt, ut ex Theologorum libris aperto colligitur. Quod si corpus a Deo physice moveretur, eiusque motus essent actiones indifferentes: quaenam iustitiae ratio, corpus innoxium dare igni comburendum, purumque Dei instrumentum a Deo damnari? Sed posito, quod inde Deus peccati auctor non colligatur, eumdem tamen physice ad peccatum concurrere, immediata consequutione nascetur: motiones namque corporis si a Deo fierent, Deus actione sua ad peccatum concurreret, eaque esset actio positiva, non permissio, quam tantum in Deo poni, sana Theologia docet.

429. Denique 6. hypothesis Malebranchiana humanae naturae atrox infligit vulnus: eam enim maximo Naturae dono, id est, libertate, spoliat, omnemque adeo legislationis splendorem, ac societatis nexum tollit *; ac proinde 7. ut naturae, ac societati adversa, reiicienda est.

* Si

* Si namque Deus sensationes in nobis produceret, omnes alias actiones, nempe iudicia, ratiocinia, ac volitiones, producere deberet: ponunt enim caussas creatas nulla vi activa praeditas, adeoque tantum occasionales. Ilicet ergo de libertate. Sed respondent, solis sensationibus animam esse ineptam, ceteras actiones vi sua elicere. At hoc nullam rationem habet sufficientem. Nullo namque modo concipi potest, cur anima sensationibus producendis vim non habeat; ceteris actionibus habeat: et si semel et in uno habet, semper et in omnibus eam habere debet; id quod influxui physico favet. Posita ergo Dei actione, tollitur libertas; hac ablata, inutilis erit omnis legislatio Divina, et humana nullum bonum erit, nulla honestas, nulla norma, nulla Societas (§. 381.).

430. Quum ergo systema adsistentiae rationi (§. 427.), Divinitati (§. 428.), homini, & Naturae (§. 429.) sit adversum: clare patet 8. id esse absurdum, impium, & fanaticum, adeoque inter ἀδύνατα referendum *.

* Id autem multo magis elucet ex eo, quod huius systematis adsertores in plurimas alias contradictiones inciderunt. Et ut cetera reticeamus, ad unam tantum animum advertere liceat, ex qua opinionis absurditas clarius adparebit. Malebranchiani, dum de idearum origine agunt, fanaticum Antesignani sui adsertum respuentes, ab eo secessionem fecerunt, et animam vi propria ideas sibi cudere adfirmarunt. Haec idearum efformatio vim activam in ea supponit. Eodem igitur tempore, quo omnem vim ab animo auferunt, vim percipiendi, ac volendi eidem tribuunt, et in principium cognoscitivum impingunt (§. 215.). Praeterea vim activam, aiunt, soli Creatori competere eodem modo, quo vis creandi, nec earum quidquam caussis creatis attribuunt. Si er-

ge

go anima ideas sibi efformat, vim illam alioquin sibi incompetentem, a Creatore participat; adeoque vis, cuius incapax erat, subiectum inhaesionis evadit. quod est absurdum; vel vim activam in sua origine a Creatore accepit, eaque, prout occasio fert, ipsamet utitur, id quod influxui physico suffragatur. Subiiciunt Malebranchiani, influxum inde non probari, quia licet anima vi propria ideas sibi conficiat, nullo tamen cerebri motiones, sive ideae materiales, munere in eo funguntur. At ex hoc adserto duorum alterum sequi deberet: vel Deum rerum corporearum imagines in cerebro impressas spiritualizare, et intellectui humano pure passivo percipiendas offerre, eoque casu redibit Peripateticorum de intellectu agente delirium, cum omnibus absurditatibus ab iisdem Occasionalistis risui expositis: vel Deum animam monere, ut obiecti praesentis ideam sibi cudat, et tunc inutilis esset corporis organici structura, inutilis etiam Dei actio, et quod faciliori, breviorique via fieri poterat, difficiliori, ac longiori fieret, nec ullus legum illarum a Deo statutarum foret usus. Mittimus cetera, ne longiores simus.

SECTIO III.

Systema harmoniae praestabilitae.

331. LEibnitius *, & post eum prolixe Wolffius **, ceterique horum Sectatores ***, tertium explicando commercio systema adoptarunt a primo excogitatum. In eo anima, & corpus duo αὐτόματα ponuntur, quorum illa vi sibi ingenita, quaeque eius essentiam ac naturam constituit, omnes suas perceptiones, & appetitiones continua serie producit ****, quae

quae modo consequerentur, etiamsi corpus, aut mundus adspectabilis non exstaret †; in hoc vero vi mechanismi ex ideis materialibus rerum sensibilium oriuntur motus volitionibus, & appetitionibus animae respondentes eadem serie, quae sequeretur, etiam si anima non exsistere t ††; ita ut antecedens semper contineat rationem sufficientem consequentis †††: idque a Deo, aiunt, in creatione praestabilitum fuisse, unde systema illud HARMONIAE PRAESTABILITAE nomen accepit.

* Videantur eius opera *Princ. philos.* 18. *seqq. Theodic. Part. I.* §. 61. *seqq. Princ. de la Nature, & de la Grace fond. en la raison. Eclaircissem. sur l' union de l' ame, & du corps. Replique de M. Leibnitz aux reflexions de M. Bayle.*

** In toto *cap. IV. Sect. III. Psych. Rat.*, ubi systema hoc distinctissime expositum, et, ut ipsi videbatur, ad maximam evidentiam fuit redactum.

*** Inter eos praestant Thummiggius, Bulffingerus, Canzius, et quamvis non aperto, Baumeisterus.

**** Vid. Wolffius *Psychol. Nat.* §. 613.
† *Ibid.* §. 614.
†† *Ibid.* §. 615. *seqq.*
††† *Ibid.* §. 618. *seqq.*

432. At quoniam in hoc systemate realis animae, & corporis dependentia tollitur: nulla namque relatio inter duo automa-

mata seiuncta, licet unisona, excogitari potest; rationi praeterea sufficienti exilium indicitur *; patet 1. harmoniam praestabilitam ad explicandum animae, corporisque commercium esse minime idoneam.

* Quaenam enim ratio inter sensationes diversissimas intercedere possit, non videmus. Si namque e. g. lusciniae cantum sentias, postea manum igni admoveas, atque inde pulverem nicotianum naribus haurias: quae ratio, quaeso, est sensationis ab igne productae in lusciniae cantu, vel odoris in igne? Similiter, quum quis rebus eruditis tam disparatis legendo studens, rosae, aliusve floris odorem sentit; quaenam inter haec connexio, aut ratio sufficiens sensationis odorae in rerum, quas addiscit, notionibus? Totum ergo systema magno Leibnitii Wolffiique principio bellum infert.

433. Quia vero in systemate harmoniae praestabilitae antecedens animae status est caussa consequentis (§. 431.), id vero cum libertate pugnat, nam omnes actiones in hoc casu necessariae forent (§. 28.); at ubi nulla libertas, ibi nullus actus imperatus liber est, praecipue, quum actus externi sint pura mechanismi consectaria: sequitur ergo 2. ut hoc systema sit humanae libertati adversum *, adeoque respuendum **.

* Respondent Harmonistae, seriem illam volitionum ab anima esse electam. Sed quandonam elegit, si antequam exsisteret, a Deo praestabilita fuit? Praeterea nulla est electio sine motivis (§. 376.), sive distinctis repraesentationibus (§.

(§. *eod.*); ante exsistentiam vero nulla perceptio haberi poterat ; nec si potuisset, totius seriei praescientiam anima habebat. Ablata ergo electione, praesto est necessitas, cessaretque omnis imputatio. Addit Wolffius: *adpetitiones in anima non fuisse praestabilitas*. *Psych. Rat.* §. 630. Sed si adpetitiones, secundum Wolffium, sunt consectaria perceptionum, ut sine iis haberi nequeant, *Ibid.* §§. 480. 495., frustra se in quaerendo confugio torquet, et si corporis motus iis adpetitionibus uniformes praestabiliti fuerunt, adpetitiones illas etiam fuisse praestabilitas, ex eadem systematis enunciatione colligitur. Nec ei suffragatur quod ait, appetitiones, et volitiones hic sequi eodem modo, ac si physice in se anima et corpus influerent: nam verbis adscrit, quod revera tollit. Quod autem de praescientia divina dictitat, subterfugium continet nullo modo sustinendum, omnibus patens, ita ut diutius super hoc immorari foret superfluum.

** Nec id sine ratione. Nam si harmoniae praestabilitae hypothesis admitti vellet, libertatis, ac societatis ideae tot entia ficta evaderent, omnisque legum oeconomia in fumum abiret. Quum enim nulla inter animam et corpus unio intercedat: nec ullum voluntati super actiones ac organa corporis competet imperium; adeoque actus imperati in corpore nulli; omnia vero fatali necessitate regentur. Quo monstro, si quid monstruosius excogitari possit, non videmus. Ecquid autem clamat lex Naturae, motus inordinatos esse compescendos, sensuumque custodiam attente curandam, si nullam habet anima motus corporis, sensusque regendi potestatem? Inutilis ergo divina omnis, atque humana lex: nulla super actiones externas imputatio: hominibus denique fatali necessitate ductis, nulla societatis felicitatisque humanae custodia. Quae quum ita sint, Leibnitium et Wolffium moralia ac politica ex professo tractantes in manifestam contradictionem incidisse, nemo est, qui non intelligat.

434.

434. Et quia in hoc systemate perceptiones, & appetitiones continua serie sequuntur in anima, etiamsi corpus, & mundus adspectabilis non exsisteret (§. 431.) hoc autem posito, nullo modo realis corporum exsistentia probari posset, sed idealis tantum; consequens est 3. ut ab eo via quam latissima pateat ad Idealismum * (§. 136.). Vnde liquet 4. sistema harmoniae praestabilitae non modo rationem philosophicam commercii non reddere, sed dubium admodum relinquere, utrum corpora animabus copulata exsistant, necne? id quod commercio maximam infert detrimentum.

* Idque clare colligitur ex iis, quae Wolffius idem subdit *in not. ad* §. 614. *Psych. Rat.* Actum ergo erit de corporibus, eorumque exsistentia.

435. Quum igitur systema harmoniae praestabilitae realem corporis, animaeque tollat dependentiam (432.), nec rationem reddat phaenomenorum in commercio observatorum; immo rationis sufficientis principio sit adversum (§. *eod.*); libertatem omnimode tollat (§. 433.) viam ad Idealismum sternat (§. 434.), commerciique rationem philosophicam non reddat (§ *eod.*): recte colligitur 5. illud explicando commercio esse ineptum; adeoque 6. sano, solideque Philosopho indignum, & absurdum.

Scho-

Scholion. Hypothesin quoque suam adinvenit P. Tournemine Soc. Jesu, ubi imperium actionis vis continentis, qua anima praedita ponitur, undique producitur. Vid. *Journal de Trévoux du mois de Mai* 1703. *pag.* 864. Eius enarratio haec est. Anima & corpus realiter & effective unita sunt, ex illa namque substantiali unione una substantia, idest homo, resultat. Huius autem coniunctionis natura coniici potest, qua anima quaeque corporis a se animati partes diversas in situ humanis actionibus convenienti conservare potest. Corpora namque in sola organica structura differunt, qua recipiendis impressionibus plus, minusve apta redduntur: inter diversos autem cujusque corporis status, unus habetur partium situs, quo id animae functionibus redditur aptius. Anima vero a Deo creatur vi naturali praedita, ut corporis sibi destinati partes in situ humanis actibus convenienti continere possit, quae corpori a se animato propria, cum anima quaque identificata est, ut in ea animarum differentia sita sit; ea vero vis continens appellatur, cuius ope anima super corpus sibi destinatum agit ita, ut agendi modus nec ab intellectu, nec a voluntate primario pendeat: nam nec motus organis impressos agnoscit; nec omnes pro lubitu moderari, aut suspendere potest. His praemissis: in ea vi continenti, vel potius in ejus actione animae corporisque com-

mec-

mercium contineri, contendit illustris Auctor. In hac hypothesi, anima corpori non est revera unita, nec ullum cum eo reale vinculum habet, nisi quia id sibi reddit proprium, eaque ita essentialiter ad id facta est, ut aliud informare atque animare nequeat. Subtilis equidem, & arguta videtur Philosophi huiusce inventio. Sed quum hoc potius sit commercii consectarium, quam ipsum commercium, inter systemata referri non meretur, sed quisque illa legens proprio marte refellere facilime poterit.

CAPVT SEPTIMVM

De idearum natura, & origine.

436. IDEAM definivimus per *simplicem alicuius obiecti repraesentationem in mente factam* (§. 16. *Log.*). Eam porro cum perceptione confudimus (§. *eod.* *), ill. Lockii sententiam amplexi *. Et quamquam acerrima fuerit ea in re quaestio agitata * ; nos tamen, quibus non scholae, sed vitae studendum, omnem de eo controversiam tuto praetermisimus.

* *Ideae nostrae*, inquit Cl. Vir, *non sunt res aliae, quam perceptiones, quae actu in mente sunt, cessantque esse aliquid, quamprimum non sunt perceptae. De intell. hum. Lib. II. cap.* 10. §. 2. Et rursus *ibid. cap.* 32. §. 1. eamdem sententiam confirmans: *Ideae nostrae*, inquit, *non sunt aliud, quam simplices apparentiae, seu perceptiones in nostra mente.*

** Plures, inter quos Malebranchius *Récherch. de la vérit. Livr. III. part.* 2. *chap.* 3., et Genuensis noster *Elem. Metaph. Part. II. prop.* 28. *seqq.*, perceptiones esse, aiunt, ab ideis distinctas, et ut illas a mente vi propria effici docent, ita harum mentem ipsam esse effectricem, acerrime negant. Arnaldus contra *in Lib. de verit, & falsis ideis*, et post eum plurimi, praesertim Storchenau *Psych.Rat.Sect.* III. *cap.* 1. contrariam tuentur opinionem, quorum specimen in ipsis praelectionibus adferemus. At quum id ad vitam, et mores hominum nihil conferat, inter steriles Metaphysicorum quaestiones referendum, praesertim quum de rebus agatur obscuris, quarum scientia difficillime haberi potest. Si autem opinari licet, perceptionem cum idea idem esse; sola vero cogitatione distingui, et ab anima vi propria elici, cum Arnaldo adfirmamus. Non enim anima in idearum simplicium perceptionibus patitur, ut Lockius adseverat, sed a cerebri motibus ad eas vi sua eliciendas veluti admonita, et determinata, suam percipiendi actionem exercet. Quum itaque una eademque actione anima rerum imagines immateriales conficiat (§. 424. **), easque, utpote actiones proprias, sensu interno percipiat (§. 257.): rationi admodum consonum esse videtur, imagines illas, sive ideas, et perceptiones unum idemque esse. Alioquin in plurima absurda foret lapsus: vel enim simulacra e corporibus avolarent, atque in animam materialem impingerent, ut Epicurus; vel corporum qualitates perciperentur, ut vulgus credit, omnes vero Philosophi inficiantur.

437. De idearum autem origine sat erit, si pauca degustemus. Et quidem, quum experientia constet, homines omnis prorsus cognitionis expertes in mundum prodire, nullas dari ideas innatas in comperto est *; adeoque falsam esse Platoni-

eorum **, & Cartesii *** opinionem, qui eas admiserunt, hominesque ideis instructos in lucem exeuntes adserere non dubitarunt.

* Per ideas enim innatas intelligunt illas, quas natura ipsa homo habet, quibusque instructus ex utero matris exiit, quippe a Deo ante ortum in anima veluti insculptis. Sed has nullas omnino esse experientia notum est. Vnde vero prodeant ideae illae, quas innatas vulgus vocat, infra docebimus.

** Platonici namque animarum praeexsistentiam statuentes (§. 411.), et Pythagoream μετεμψυχωσιν admittentes, animas humanas primum ideis aeternis, postea vero adonisitis imbutas admittebant, quarum tamen in corporis informatione obliviscerentur, ac deinde studio, et meditatione earum memoriam renovarent. Sed quum praeexsistentia, illa, ac μετεμψυχωσις pura sint Platonicorum somnia, opinio haec aperto improbatur.

*** Cartesii opinio ex eiusdem *Ep.* 99. *Tom. I.*, elucet, ubi programmati cuidam in Belgio edito respondens *ad art.* 14.: *Moneo hic*, ait, *me per ideas innatas nihil umquam intellexisse, nisi . . . nobis a natura inesse potentiam, qua Deum cognoscere possumus*. Haec autem potentia, sive facultas cognoscendi, si pro ipsa cognitione, nempe ideis accipi velit, in absurdum procul dubio evadet errorem, idem enim esset, ac si diceres, hominem facultate eruditionis adquirendae instructum hoc ipso eruditum esse, id quod pugnat cum *ax.* 2. §. 53., ex quo habetur, a potentia ad actum non posse concludi. Quod autem Cartesiani ex Cartesii mente *ibid. ad art.* 12. ideas innatas dici debere contendunt axiomata nonnulla evidentissima, quae non aliunde, quam a natura ipsa edidicimus, quaeque Genuensis

sis noster falso *naturales ideas* adpellari mavult *Art. Logicor. Lib. II. cap.* 2. §. 23. : ea iudicia potius dicenda esse, et ab ideis antecedentibus sensu adquisitis profecta, diximus in Logica (§. 37. ** *Log.*). Sylvanus Regis ideas Dei, corporis, et animi innatas vocat, propterea quod hae in anima, quamprimum corpori coniungitur, exoriuntur. *Usag. de la raison, & de la foi. Livr. I. part.* 1. *chap.* 7. Ideam vero Dei ab idea sui ipsius, entiumque creatorum enasci, nemo ignorat, ut coram ostendemus. Ideam denique corporis, et animi sensibus externis aeque, ac interno adquiri, quisque videt. Interim legatur Lockius *De intell. hum. Lib. I. per tot.*

438. Si vero nobis ipsis attendere velimus, videbimus ideas noſtras partim a SENSV * (§. 35. *Log.*), partim autem a mentis ABSTRACTIONE ** procedere: & quidem rerum praesentium ideas sensu adquiri ; absentium contra earum reproductione, ideſt phantasia (§. 261. *seqq.*), haberi. Hinc illae SENSVALES, aut PHANTASTICAE ; hae ex adverso ABSTRACTAE, & INTELLIGIBILES merito appellantur.

* Omnia namque entia corporea extra nos exsistentia, vel saltem incorporea sub corporeis imaginibus sensatione (§. 258.), et phantasia (§. 261.) ; quae vero intra nos fiunt, sensationesque ipsas sensu interno a nobis percipi (§. 257.), iam supra demonstratum est.

** Abstractionem autem comitatur attentio (§. 336.), reflexio (§. 339.), compositio (§. 36. ** *Log.*), et ratiocinatio (§. 82. *Log.*) ; quae facultatis cognoscitivae superioris actiones sunt. Hae vero sensuales ideas praesupponunt, a

quibus proprias secernendo, et communes notas retinendo, ideae universales a mente conficiuntur (§. 29. *seqq. Log.*). Vt hoc exempli loco addamus, idea Dei, nempe entis perfectissimi, spirituum, virtutum et vitiorum, honestatis ac turpitudinis, non aliunde, quam sola mentis abstractione, vel ratiocinio ab ideis sensu perceptis efformantur: item axiomata, nempe propositiones universales a particularibus (§. 69. *Log.*), vel singularibus (§. 126. *Log.*) conficiuntur. Idem etiam de ceteris dicatur. Recte ergo Lockius *De intell. hum. Lib. II. cap. 1. §. 2.*: *Fons*, inquit, *idearum omnium est experientia: haec omnium nostrarum cognitionum est fundamentum. Observationes, quas instituimus, vel super obiecta externa sensibus obvia, vel super internas animae operationes, quas reflexione, & sensu intimo percipimus, omnia cogitationum nostrarum obiecta menti nostrae suppeditant. Hi sunt duo fontes, sensatio videlicet, & reflexio, ex quibus omnes, quas habemus, aut naturaliter habere possumus, ideae profluunt.* Addit postea; eo modo simplices tantum ideas confici; abstractas vero, et complexas abstractione, compositione, ratiocinatione, aliisque mentis actionibus efformari. Ex hoc autem immerito Genuensis noster eum, tamquam materialismi fautorem, obiurgat; quamvis sua dubitatione (§. 388. *) alibi materialistarum caussam quodammodo egerit.

439. Idola quaedam, vel simulacra a rebus quibuscumque avolare, ac undique per aera circumvolitantia ad animae sedem per organa deferri, DEMOCRITVS, EPICVRVS, & LVCRETIVS somniarunt *, absurdo materialismi errore decepti. Quod si ita esset: iam per tot saecula res forent imminutae, cerebrum vero huiusmodi imaginibus admodum repletum, nul-

nullam idearum adsociationem ordinatam, neque memoriam suppeditaret. Praeterea quum idola a rebus exsiſtentibus tantum mitti possent, nullam, nisi singularem, ideam habere possemus **.

* Democritum ita sensisse, testis est Cicero *De Divin. Lib. II. cap.* 67. *A corporibus*, inquit, *solidisque figuris vult fluere imagines . . . plena*, *inquit*, *imaginum sunt omnia . . . . nulla enim species excogitari potest*, *nisi pulsu imaginum*. De Epicuro idem narrat Laertius *Lib. X. Vit. Epicur. num.* 24. Lucretium autem eiusdem fuisse opinionis, adparet ex eius *Lib. IV. de Nat. rer. v.* 46. *seqq.*

Dico igitur, rerum effigies, tenueisque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum;
Quae, quasi membrana, vel cortex nominitanda est,
Quod speciem, ac formam similem gerit eius imago,
Quoiuscumque cluet de corpore fuse vagari.

Et rursus *v.* 728.

Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
Tenuia, quae facile inter se iunguntur in auris,
Obvia quum veniunt . . . . .
Corporis haec quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem animi naturam intus, sensumque lacessunt.

At quonam modo ideas generum et specierum, item ideas intelligibiles, vel eorum, quae numquam exstiterunt, habere possimus, ex hoc systemate derivari non potest, nec quomodo eas comparare valeamus: unde palpabilis eius patet absurditas, et in vitiosum circulum evadit. Vid. Cic. *De Nat. Deor. Lib. I. cap.* 36.

** Et quidem idola a corporeis rebus avolare deberent, adeoque res tantum singulares percipere possemus, non vero ideas virtutis, vitii, animae, ceterasque ideas intelligibiles habe-

re. Omnes ergo ideae nostrae singulares essent: nullae universales et abstractae: nulla axiomata aliave iudicia, nulla denique ratiocinia. Ecquid autem est huiusmodi de cogitatione iniuriosa novitas? Confutatione haec non indigent, sed coercitione.

440. Peripatetici ideas materiales (§. 258. **) , quas *species impressas* vocabant, ab intellectu quodam agente spiritualizari aiebant, & inde fieri *species expressas*, quae intellectui passivo offerrentur, hic vero tali artificio res perciperet. Sed ea esse pura Aristotelicorum deliria nullo praesidio, nulla plausibili ratione fulta, quisque videt *.

* Vndenam enim didicerunt intellectuum illorum agentis, et passivi exsistentiam? Non ab interno sensu: nam nihil eiusmodi in nobis inesse, omnes norunt. Non a ratione; nam species illae quomodo ex materialibus spirituales fieri poterunt? Praeterquam quod species illae erunt a corporum superficiebus avolatae, an non? Primum est cum Epicuro, et Lucretio insanire: alterum, motiones sensuum et cerebri pro corporibus externis accipere. Sed quam doctrina haec varie a variis fuerit explicata, in tanta rerum confusione, quae falsitatis vera tessera est, nihil ultra addendum esse censemus.

441. Nicolaus Malebranchius rem ad supremum fanatismi gradum evehens opinatur, solum Deum res a se creatas agnoscere, in eoque archetypas rerum omnium ideas exsistere, quas anima humana, ei κα᾽ οὐσίαν (*essentialiter*) unita, in Deo, aut Dei lumine videt, ac contemplatur *.

Sed.

Sed qualia absurda contineat haec opinio, vel ex eo patet, quod praeter alia contra eum supra adlata (§. 147. *seqq.*), omnium rerum veras ideas non habemus, nec, nisi longo studio & labore pauca, plerumque imperfecta admodum, addiscimus ** .

* Opinionem hanc proposuit in opere *De la recherch. de la vérit. Livr. III. part. 2. chap. 6.* nullis fultam rationibus. Eam vero prae ceteris confutarunt Sylvanus Regis *Métaph. Livr. II. part. 1. chap. 14.*, Lockius *Oeuvr. divers. Tom. II. pag.* 140. *edit.* 2., Arnaldus *de veris & fals. ideis*, aliique.

** Si namque omnia in Deo videntur, cur non omnia possibilia, praeterita item, et futura uno obtutu videmus, quum omnia actu simplicissimo in Deo insint? Cur materialia solum, non etiam spiritualia? cur Dei cognitio est admodum imperfecta, et in diversis hominibus diversa? cur res omnes ab omnibus non eodem modo, non eodem tempore, nec eadem aetate videntur; cur pauca scimus, eaque raro necessaria, aut utilia? Desipere id quidem est, non philosophari.

CAPVT VLTIMVM.

De brutis animantibus, eorumque anima.

442. IMplicatissimam nunc adgredimur tractationem, quae vehementer omnium Philosophorum torsit animos, eosque in diversa distraxit, nempe de animabus belluinis, quas quidam exsistere

adfirmarunt, negarunt vero aliqui, bestiasque pura αυτοματα esse censuerunt. In qua tamen quaestione operae pretium facturos nos arbitramur, si duce primum experientia, deinde ratione, ad investigandam earum naturam, solvendumque hoc problema procedamus.

443. Experientia constat, brutorum corpora eadem fere * organica structura gaudere, qua homo in corpore gaudet; oculos, nares, os, aures, linguam, cutem, cerebrum **, nervosque huc usque protensos habere, quorum ope obiectorum externorum impressiones excipiunt, atque colores, sapores, sonos, dolorem, & voluptatem, maiori saepe efficacia, quam homines, sentiunt ***; item se ipsa ab aliis obiectis, ex his vero alia ab aliis distinguere ****. Evidens ergo est 1. bruta animantia sensu, omnibusque ad sentiendum requisitis praedita esse.

* Exceptis enim animalibus, quae *imperfecta* vocantur, reliqua omnem fere humani corporis referunt constructionem, servata ubique speciei diversitate.

** Videmus enim equos, vitulos, canes, aliaque similia animalia organis sensoriis, nedum vitalibus, esse instructa, cerebrum autem minori volumine, et quantitate prae homine habere, ut repetitis saepius observationibus innotuisse testantur eruditi. Prae ceteris vero brutis animantibus *scalam*, ut aiunt, *animalem* componentibus illud, quod ad hominem propius accedere videtur, est species simiorum, cui *Orang-Outang*. si-

sive *hominis sylvestris*, nomen obtigit, propter magnam cum homine similitudinem, de quo videatur Ill. Buffon *Hist. nat. Tom. XIV. art. Orang. Outang.* In eo staturae proportionem, membra, incessum hominis fere observare licet: capite erecto, ac duobus pedibus incedit: caudae expers hominis instar sedet: crura, pedes, brachia, manus, ungues, faciem, dentes, linguam, capillos, barbam, cetera organa hominis prope habet: baculo, lapidibus se defendit: eius cerebrum forma, et proportione humano simile, ab eo tantum magnitudine, ac quibusdam essentialibus notis in structura differt, ut Cl. Bonnet *in Naturae contemplatione Part. III. cap. 50. not.* tot dicat, tamque patentes esse illi cum homine similitudines ab Anatome repertas, ut exilibus diversitatibus spectatores stupeant.

*** Notum est, lyncem acutius, quam cetera animantia, oculis cernere; lupum auditu; canem olfactu, felem oris tactu praecellere; sensibilitate vero Orang-Outang, quae tanta est, ut solo vix diversi sexus adspectu convulsionibus maximis percellatur. Nec vero tanta salacitatis ardentia ad speciem tantum propriam, sed ad humanam quoque se extendit.

**** Sensum internum, sive, ut Leibnitius vocat, apperceptionem brutis inesse vel ex eo patet, quod se ipsa ab aliis rebus, dominos ab extraneis, utilia a noxiis, lapides a cibis probe discernant, et si alia bruta ad capiendum eorum cibum accedant, ea acerrime repellant.

444. Eadem experientia edocemur, bruta idearum quoque adsociationes conficere: nam ad obiecti alicuius adspectum 1. ideas alias in iis reproduci, nec non & insomniis saepe adfici, quaedam eorum actiones aperto ostendunt *. Constat ergo

2. bruta animantia phantasia praedita esse (§. 266.). Et quia ab idearum reproductione, & adsociatione memoria pendet (§. 275. *), rerumque praeteritarum bruta recordantur **: certum est 3. illa etiam memoria gaudere.

* Imaginationem miro quodam modo vim suam in brutis exercere, vel id exemplo est, quod viso baculo, quo semel vapulaverunt, fugiant, immo et aliquando eiulatus edant, ne iterum verbera sentiant: eo namque casu ex idea baculi sensuali tota idearum adsociatio reproducitur, nempe sensationes ingratae olim perceptae ope verberum baculo acceptorum. Insomnia quoque in equis, sed praecipue in canibus venaticis, eorum imaginationem arguunt: quippe videntur eos in somniis latratus edere, quos diu feras insequentes, ut signa venatori nota, dare solebant.

** Cur namque canes olim ab aliquo vexati, vel eos fugiunt, vel mordent? Nimirum memores iniuriarum, contra adgressorem invehuntur; vel ne iterum ab eo laedantur, aufugiunt. Equi ad certum aliquem gressum, vel alia eiusmodi peragenda instituuntur. Psittaci, picae, ipsique corvi ad edendos sonos aliquot articulatos, licet eos non intelligant, institui solent. Orang Outang educationis capax est usque ad ea omnia servitia praestanda, quae diligens domesticus facere posset. Bonnet *loc. cit.* Nisi eorum, quae vident, audiunt, sentiuntque, memoriam haberent, nullius institutionis essent omnino capaces.

445. Inde ergo fluit 3. bruta facultate cognoscendi inferiore praedita esse (§. 254.). Quumque cognitionem sequatur appetitus (§. 93): infertur 5. etiam appetitu sensitivo gaudere *, 6. eiusque vehementioris-

ribus motibus, nempe adfectibus ** (§. 298.).

* Pastus enim, et latibula quaerunt, utilia a noxiis secernunt, venatores, laqueos, ferasque rapaces fugiunt, in quo elucet eorum adpetitus, et aversio sensitiva. Videmus nimirum feles viso cibo, quem adpetunt, circa domini mensam importune maumare, ac saepe verbera ferre, dum praedam aliquam unguibus rapiant; mures vero muscipulam ingrediuntur, pisces ad hamum currunt escam ibi suspensam adpetentes; cetera huiusmodi.

** Ira quid m. in canibus, felibus, equis, tigribus mirifice praedominatur: imo no vindictam quandoque meditantur, et adveniente occasione exsequuntur. Exempla passim exstant, ut casus singulares memorare non teneamur. Amoris effectus observatur tam in cura, et educatione filiorum, quam in ardentia, qua speciei propagationem quaerunt. Eodem modo metum, invidiam, aliosque effectus in brutis observamus. Mirificum canis cuiusdam exemplum enarratur, qui mortuo hero, diu noctuque super huius tumulum querulos mittens eiulatus, nec cibum unquam sumere voluit, nec inde dimoveri passus est, multis licet verberibus afflictus, donec ibi vitam finivit. In hoc quamdam gratitudinis speciem observamus.

446. Quia vero facultatibus inferioribus adiungitur spontaneitas (§. 370.), sive libertas a coactione (§. *eod.*): sequitur 7. ut bruta motibus gaudeant spontaneis, adeoque 8. sint a coactione libera *.

* Quidquid enim necessario agit, eodem semper modo agit, positaque eadem caussa, idem semper exspectandus erit effectus. At in brutis interna quidem, non etiam externa necessitas ob-

servatur. Nam si sibilus, vel equitis sola vox equum impulit, ut cursum accelerarer: nec sibilus, nec vox, nec baculus eum unquam coget, ut voraginem transiliat, vel se de rupe demittat, sed aut a via digredietur, aut gradum absolute sistet, et contra equitem calcaribus, fraenoque saevientem calcitrabit. Si namque ea foret structura corporis, ut positis externis impulsibus in organa sensoria, certi motus necessario sequerentur, non hic eveniret ex eadem caussa diversorum effectuum consequutio, ut in feris insidias semel expertis, cauteque incedentibus evenire solet.

447. Quum ergo bruta sensu (§. 443.); phantasia, & memoria polleant (§. 444.); appetitu quoque, & adfectibus (§. 445.), motibusque spontaneis gaudeant (§. 446.), consequens est 9. ut bruta cogitent; adeoque 10. insit in eis principium quoddam a corpore diversum (§. 239.), cui facultates illae cognoscendi, & appetendi, tamquam subiecto, inhaereant (§. 240); quod quum anima recte dici possit (§. 241.): sequitur 11. ut bruta animam habeant *.

* Non ergo sunt pura automata vi solius structurae organicae motus suos peragentia, ut Diogenes Cynicus, Plutarch. *De placit. philos. Lib. V. cap.* 20., Stoici, Senec. *De ira Lib. I. cap.* 3. Cartesius *Dissert. de metodo*, huiusque quamplurimi Sectatores falso autumarunt. Atquam periculosa sit haec opinio, vel id argumento est, quod si cogitandi facultas, licet inferior, corpori organico vi stucturae suae competere posset, prona esset ad materialismum via, et libertini ex eadem Cartesianorum adsertione triumphum canerent. Nec obstat quod ipsi aiunt, Deum

po-

potuisse efficere, ut bruta vi solius mechanismi sine principio cognoscente motus suos peragerent: ergo effecisse. Nam praeterquam quod inter cogitationem, et motum mechanicum adest contradictio (§. 386.); posito quod impossibile non sit Divinae Omnipotentiae, non ideo dicendum erit ita esse (§. 53. *ax.* 2.), quum a potentia ad actum concludi nullo modo possit. Immo quum Deus nihil frustra moliatur, bestiisque organa, eorumque cum cerebro communicationem dederit, omnis recta ratiocinatio suadet, ut principium quoddam activum in cerebro totum corpus regens posuerit, adeoque illas anima instruxerit.

448. Quoniam itaque anima brutorum cogitat (§. 447.); quidquid autem cogitat est ens simplex (§. 395.): recte colligitur 12. animam brutorum esse ens simplex *. At quia materia cogitare nequit (§. 384. *seqq.*); nec minimo materiae elemento cogitatio competere potest (§. 394.): infertur 13. animam brutorum esse immaterialem **.

* Ruit ergo Epicuraeorum, et Peripateticorum opinatio, eorumque, qui brutorum animas in fortuito atomorum concursu, vel exilissima quadam materia reponunt. Nam quantulacumque sit ea materiae particula, numquam non ens compositum esse poterit, adeoque cogitationis incapax (§. 384. *seqq.*).

** Tria vero sunt, quae ab adversariis, duce de la Mettrie *dans l' Homme machine*, obiiciuntur, quibus animam belluinam divisibilem, ideoque materialem ostendere conantur. 1. Serpentes, lumbrici, aliaque insecta, licet in partes divisa, vitam continuant, et acu tacta dolorem sentiunt. His tamen respondemus, eam non esse vitam, sed fluoris nervosi, nempe spirituum animam

malium motum, qui vehementi agitatione productus tamdiu perseverat, donec amissa partium flexibilitate, extinctoque fluore, paullatim minuitur, ac tandem in requiem desinit; idemque dici poterit de gallo gallinaceo capite amputato currente, ab eodem materialista De la Mettrie memorato *ibid. circa fin.* Ea vero contractio, quam in serpentum partibus, cum acu punguntur, observamus, non est doloris consequutio; sed certa quaedam eiusdem fluoris commotio, nedum annulorum, spirarumve, quibus illa corpora compacta sunt, coniunctio ab impressione orta, ut videre est in serpentibus artefactis, et ex tenuissima bombyce, papyro, aliave simili materia contextis, qui vix tacti moventur, pueroque fallunt. 2. Polypi aquarum dulcium, aiunt, in frustula comminuti octo circiter dierum spatio in totidem polypos convertuntur. At adversarii nostri nullam omnino polyporum ostendunt habere notitiam, quae si adesset, hanc obiectionem facere erubescerent. Polypi namque inter *Zoophyta* enumerantur, quia naturam magis vegetabilium, quam animalium habent: et si accuratam polyporum analysin instituerent, viderent: eos nihil aliud esse, quam totidem granulorum receptacula viscosa pelle obducta, quae impedimento est, quo minus omnia illa granula enodentur, et in totidem polypos evadant: unde eorum generatio fit *per palmites*, e matris corpore ramusculorum instar exeuntes. Si ergo polypi inciduntur, pellis resistentia tollitur, atque granula in frustis contenta, quae totidem germina foecundata sunt, in polypos abeunt. Legatur hac super generatione Bonnet *Contemplat. de la Natur. part.* 8. *chap.* 12. *& suiv.*, praecipue vero *chap.* 15., ubi iucundissima eorum descriptio invenietur. 3. Scarabaeus, inquiunt, capite ablato, ultra mensem vixit, avolavit, motusque varios edidit. Quonam autem Anatomes auxilio didicerunt, omnium animalium sensorium commune in capite positum esse? Videruntne scarabaei organa cum capite, an vero cum alia corporis parte communicare? Quando igi-

igitur coniecturis locus relinquatur, multo verisimilius dici potest, animalculi huius sensorium in alia quadam corporis parte situm esse, ut capite amputato vitam continuare potuerit, donec alimentum periit necessarium. Nec iniuria opinionem hanc admirationem forsan in multis excitaturam proferre audemus: quippe quae aliquod in experientia fundamentum habet. Quam optime de litteraria Republica meritus sit Vir eximius, et in rebus naturalibus versatissimus Philippus Caulini, nulla fere est Europae cultae pars, quae ignoret. Is in productionibus marinis ad examen revocandis, quamdam mullusculorum speciem reperit, cuius in dorso, vel potius latere sensorium commune invenit, unde nervi optici ad oculos usque in capite exsistentes procedunt, nobisque amicitiae vinculo cum eo connexis analysin illam ostendit, et communicavit. Quum ergo obiectiones sint nihili, bestiarum animam immaterialem esse, absque erroris suspicione possumus affirmare.

449. Quia vero idearum distinctarum indicium est loquela qua animi conceptus cum aliis communicantur (§. 24. *Lo*.); bruta contra loquela, seu sermone omnino carent, licet organa vocis nullo vitio laborent, ut experientia notum est *: infertur ergo 14 ea nullas ideas habere distinctas; adeoque 15. facultate distincte cognoscendi, nempe intellectu, carere (§. 342.).

* Sunt equidem quaedam volatilia, quibus facile est sonos articulatos edere, ut longa institutione eos addiscant: uti psittaci, picae etc.: ea tamen non loquela, vel sermo, sed inanis sonorum articulatorum series dicenda est. Vt enim sermo dicatur, debet vocibus constare conceptus ani-

animae explicantibus (§. 47. *Log.*); voces autem debent illorum esse signa conceptuum (§.41.*Log.*). Quando igitur voces eduntur, nec intelliguntur, neve idea aliqua iis adfigitur, eae non erunt, nisi soni pure articulati: id quod vel ex eo patet, quod animalia illa voces absque nexu, et fortuito; vel easdem voces semper proferunt: quia quum solius soni ideam habeant sensibus perceptam, sonum eumdem memoriae mandant, eumque repetere discunt, ut fusius coram docebimus. Ridicula ergo est illius sententia, qui animalia aliquando sermocinantia auditurum se confidit. *Les animaux plus que machine pag.* 6. At, inquies, bruta signa sua habent, quae mutuo intelligunt; ea vero loquela particularis est dicenda. Non negamus quidem, bruta sonos quosdam edere, quibus ideas singulares inter se communicant: sed ea est nuda casuum similium exspectatio. Singula namque, quum conatum quemdam data occasione sonum illum eliciendi in se observaverint, vel alia eiusdem speciei eadem occasione idem fecisse senserint: recurrente simili sensatione, similem casum exspectant: atque inde fit, ut aucupes, aliique venatores sonos illos audientes, et saepe, qua occasione edantur, observantes, eos addiscant, bestiasque imitando decipiant.

450. Patet ergo 16. bruta ideas rerum corporearum tantum singulares habere, nullas vero universales conficere posse (§. 347.); nulla quoque iudicia, nulla ratiocinia, quae intellectus actiones sunt, contexere *, adeoque 17. nec veritatum universalium nexum perspicere; quae facultas quum *ratio* dicatur (§. 2. *Log.* & 353. *huius.*): sequitur 18. eadem etiam ratione carere **; 19. sola tamen casuum similium exspectatione, quae inferioris facultatis est, praedita esse.

* In-

* Inest tamen in brutis quaedam ratiocinationis umbra ideis singularibus innixa, cuius praemissae sunt iudicia singularia, si ita dicere fas est, unde naturalis quaedam complexio enascitur. Sic canis, visa in manu domini catena, qua interdiu alligatur, aufugit hunc imperfectum edens syllogismum: *Alias illa catena alligatus dolores pertuli: nunc eamdem catenam parari video: nunc ergo alligatus dolores perferam*. Maior est sensatio praeterita per imaginationem reproducta, et per memoriam agnita; minor, sensatio praesens; conclusio, casuum similium expectatio.

** Quum enim veritates universales nullo modo eis innotescere possint (*per num.* 16.), nec earum connexione, adeoque nec huiusmodi facultate gaudere poterunt; ratione ergo destituuntur, quum *tantum*, *quantum sensu moventur*, *ad id quod adest*, *quodque praesens est*, *se accommodent*, *paullulum admodum sentientes praeteritum*, *aut futurum*. Cic. *de Offic. l. cap.* 4.: licet tamen aliquid rationis vicarium, nempe casuum similium exspectatio, in ipsis observetur, cuius ope combinationes, ac syllogismos valde imperfectos conficiunt, ut supra ostendimus. Eoque principio solvi poterunt quaestiones, et exempla omnia, quae de brutis accumulant Genuensis noster *Dissert. de anim. brut.*, et Paulian *Diction. de Physiqu. Tom. I. art. Animaux*, quae in legentibus admirationem cient.

451. Quoniam autem ab intellectu, & ratione pendent adpetitus rationalis (§. 362.), voluntas (§. 366.), & libertas proprie dicta (§. 377.); bestiae vero intellectu, & ratione carent (§. 447. *seqq.*): liquido patet 20. voluntatem, & libertatem brutis esse nullam; ac proinde 21. Naturam ipsis omnem superiorem cognoscere

scendi, adpetendi, eligendique facultatem denegasse *.

* Nullam ergo iusti, honestique habent ideam: nulla systemata conficere possunt, nullius legis sunt capacia. Sed, obiiciunt, apes cellas suas tanto artificio construunt, ut totam geometriam callere videantur; formicae horrea complent, ut futuri admodum conscias, ac prudentes esse dixeris: habent ergo rationem, et intellectum. Respondemus, apes solo naturae ductu, sive interno impetu, quem *instinctum* proprie appellant, cellas conficere ideis singularibus sensu adquisitis, imitantur enim cellas ab aliis confectas; id quod vel ex eo patet, quia artificium illud non arte discunt, sed naturaliter callent; vix enim volare incipiunt, et parvula membra movere, statim ad opus, cum aliis conficiendum accedunt, idque semper eodem modo, nulla mutatione condiunt. Formicae vero solo appetitu sensitivo moventur, visisque frugibus, eas in tanas advehunt statim ac corpusculum est confirmatum. Si illa esset scientia, vel prudentia, paullatim adquiri deberet, et non nisi longo studio, aut saltem experientia possideri, ut in hominibus observamus. Sed quia ab animalculis istis simul atque orta sunt, operationes illae conficiuntur: non intellectus, sed sensus et phantasiae effectus dicendae sunt, easque bruta partim naturali quodam impulsu, partim aliorum imitatione faciunt; omnes vero uno eodemque ordine, modo, et artificio sine ulla perfectionis, aut mutationis additione. Vid. fusius Bohemius *Psych. Rat. append.* §. 678. *Schol.* Quod atem dicimus, brutis eligendi deesse facultatem, ex eo manifestum est, quod illa se ad agendum, vel per ideam praesentem clariorem, vel per appetitionem vehementiorem determinantur: ut videre est in cane ad panis, vel baculi conspectum accedente, vel recedente. Vnde patet, b stias a principio quodam interno ad agendum determinari, adeoque in iis spontanei-

neitatem (§. 370.), non etiam libertatem (§. 373.) inveniri.

452. Quum ergo bruta facultate cognoscendi, & appetendi tantum inferiore gaudeant (§. 443. *seqq.* 451.): anima vero humana etiam superiore praedita sit (§. 253.): recte colligitur 22. intellectum, & voluntatem, ac proinde & libertatem esse animae humanae a belluina differentiam specificam; adeoque 23. eas inter se intrinsecus differre *. Et quia intellectus, & voluntas spiritum constituunt (§. 112.): infertur 24. animam brutuorum dici non posse spiritum, sed ens immateriale inferioris ordinis **, cujus tamen post corporis dissolutionem status ignoratur, & utpote captum nostrum superans, non est curiose investigandus ***.

* Non ergo sunt ambae ex eadem massa decerptae, ut ineptissime Gallus Scriptor quidam adfirmavit, *L'homme plante pag.* 21., nec operandi imperfectio a structurae imperfectione pendet, ut Manichaei, aliique μετεμψυχωσιν admittentes insulse pronuntiarunt, nec ambae hae species humana, et belluina, actiones suas vi propriae organicae structurae eidem proportionales edunt, ut Helvetius *De l' Esprit Discours I. chap.* 1., et de la Mettrie *dans l' Homme machine* falso scripserunt; sed differentia interna est; ex attributorum quippe discrimine interiore nata.

** Hinc colligitur, quam ridicula sit opinio Auctoris libri *Amusem. phil. sur le langag. des bêtes*, qui brutorum animas esse, ait, cacodaemones in bestiarum corporibus inclusos, et ad extremum usque diem reservatos, aeternis tunc suppliciis mactandos. Praeterquam enim quod cacodaemones sunt puri spiritus, idest ad nullum corpus

pus ordinati: posito tamen, quod ens aliquod tertium cum corpore constituere possint, quum sint substantiae intelligentes hominibus nobiliores, deberent ens homine nobilius constituere. Bruta vero homine inferiora, et ignobiliora sunt, ut supra vidimus. Deinde quum sola ratione in Philosophia uti debeamus, entia vero haec sub rationis ambitu contineantur: indignum prorsus esset viro philosopho, in rebus naturalibus ad entia sola revelatione cognita, uti sunt cacodaemones, confugere, et ignorantiae suae subsidium quaerere.

*** *Vid. Part.* II. *Log. cap.* 2. *Schol. can.* 5. *not.* Perridicula quidem est eorum audacia, qui quum animae belluinae finem concipere non possint, ad duo extrema turpiter inpingunt, vel immortalitatem eis concedendo, vel bestias puras esse machinas contendendo. Et quidem postremum hunc errorem supra refutavimus (§. 447. *): in primo autem falsam ideam immortalitatis formari videmus, cuius characteres etiam tironibus innotescunt (§. 398.). Quum enim immortalitas veri cognitionem, bonique amorem requirat post mortem duraturum, adeoque poenas, et praemia pro merito cuiusque a Deo statuenda: quidquid honestatis, legisque incapax est, immortale esse nequit. Quia ergo bruta intellectu, et ratione carent (§. 449. *seqq.*); adeoque nulla veri et boni, honestatis et turpitudinis, legisque ideas habere possunt (§. 451.): praemiorum, et poenarum sunt prorsus incapacia; ac proinde immortalia esse nequeunt. Quid autem de iis post mortem fiat, non nostrum est scire, nec hilum quidem ad vitam confert: nec ad id bruta creata sunt, aut videntur, ut verum agnoscant, et bonum ament; sed ut corpora illa viventia reddant, quae homini servire, eumque alere, vestire, delectare debent, cui summum super ea imperium supremus rerum Arbiter concessit, iussitque, ut iis, ceterisque omnibus creatis rebus utens, fruensque, Creatoris sui gloriam admiraretur, eam in actionibus suis pro virili illustraret, eique soli laudes, amorem, cultum impertiretur, a quo sibi bona cuncta procederent.

METAPHYSICAE

PARS QVARTA

THEOLOGIA NATVRALIS

ΕΙΣΑΓΩΓΗ

453. POstquam Mundum universum omniaque entia in illo posita, eorumque naturam, ordinem, actiones, ac proprietates expendimus, ordo postulat, ut ad omnium entium creatorem Deum, eiusque sempiternam virtutem, ac divinitatem contemplandam gradum faciamus. Id vero quantum humana fragilitas patitur, naturalique lumini permittitur, in hac postrema Metaphysicae parte exsequemur.

454. Scientia de Deo, eiusque attributis, & operibus, THEOLOGIA * vocatur; estque vel NATVRALIS, si quidquid de Deo humana ratio sentit, doceat; vel REVELATA, si Dei essentiam, incomprehensibiliaque mysteria, nedum modum aeterna beatitudine fruendi, Dei ipsius verbo innixa, tradat *. Scientia haec

a P...

a Paganorum Theogonia toto coelo diversa ***, omnem ingenui hominis attentionem, studiumque ad se trahere debet: sua namque res agitur, suaeque felicitatis, ac beatitudinis fons aperitur. Nobis sola ratione duce res divinas humanasque tractantibus (§. 16. *Log.*), nulla Theologiae revelatae mentio fiet, quam tamen Theologis discutiendam relinquimus: naturalem autem, utpote nobilissimam Metaphysicae partem, quantum sat erit, evolvemus.

* Nominis enim etymologia τον λογον περι τυ Θευ, *sermonem de Deo*, indicat.

** Ad revelatam ergo Thelogiam pertinent doctrinae de augustissimo Trinitatis mysterio, de Incarnatione, de vita aeterna; mediisque ad eam necessariis, aliisque Dei verbo cognitis veritatibus, quae Sacrarum Scripturarum auctoritate nituntur.

*** Paganorum quidem THEOGONIA innumeris fabulis, superstitiosisque ritibus involuta duorum generum erat: vel nempe MYTHICA, quae poetarum figmenta de Deorum natalibus, genealogiis, coniugiis, vitiis, ac metamorphosibus, continebat; vel POLITICA, quae Deorum illorum cultum, sacra, flamines, ac ritus exponebat. De illa consulendi Mythologiae scriptores Hyginus, Natalis Comes, Cellarius, aliique; de hac omnes ii, qui antiquos paganorum ritus, ac coeremonias conscripserunt, inter quos reliquis palmam praefert Io. Georg. Graevius inter antiquitatum Scriptores facile princeps.

455. Quoniam ergo de iis, quae de Deo ratione duce sciri possunt, hic agere de-

debemus (§. 454.); ratio vero numquam in errorem nos inducit (§. 456.); sed certitudinem parit metaphysicam (§. 133. *Log.*): consequens est, ut Theologia naturalis cum revelata non pugnet *, sed potius ipsi fundamenta sternat; haec enim naturalem Dei cognitionem adiuvans, intellectum hominis veritatibus captum suum longe exsuperantibus imbuit, & quo naturali lumine pervenire nequit, verbo Dei, scilicet revelatione, ducit.

* Pugnaret enim, si res ipsi contrarias doceret. At Theologia revelata non modo ea tradit, quae in naturali habentur, sed et veritates sublimiores, humanamque rationem multo exsuperantes verbo Dei innixa pertractat: adeoque, quum doctrinae supra rationem non sint contra rationem (§. 355.), hae duae facultates nullo modo inter se pugnant.

456. Quia porro quae de Deo scienda sunt, eius exsistentiam, attributa, opera, Religionemque ipsi debitam respiciunt: de iis omnibus in distinctis capitibus agemus. Quod quum ad veram hominis felicitatem viam sternat, eumque Dei cultorem, verae ac solidae pietatis reddat amantem: non opus est ideo, ut scientiae huius nobilitatem, necessitatem, ac utilitatem commendemus.

CAPVT PRIMVM

De Deo eiusque exsistentia .

457. QVamvis infinita Dei essentia a finitis mentibus comprehendi nequeat (§. 131.), ut eum Apostolus *lucem habitare* dixerit *inaccessibilem* * ; quodvis autem Dei attributum sit ipse Deus, ita ut in illo actu purissimo nihil realiter distinctum, nihil copulatum, nihil coagmentatum concipi queat : attamen ad imbecillitatem nostram in Dei cognitione iuvandam, essentiam ei tribuimus metaphysicam, plurima vero inde deducimus attributa, quae sola cogitatione discernimus, ut in hac nobilissima scientia, quantum humana fragilitas patitur, proficere possimus. Inde vero est, ut nec perfecte Deum cognoscere, nec realem eius definitionem proferre queamus, eumque *per speculum in aenigmate* videamus ** . Definitionem ergo nominalem de Deo daturi, eam tantum seligemus, quae sufficiat ad Deum ab aliis entibus ubique internoscendum, & unde reliqua Dei attributa legitima consequutione deducantur .

* *I. Tim. VI. v. 16.*
** *I. Cor. XIII. v. 12.*

458 DEVS est *ens necessarium* * . Absoluta ergo exsistendi necessitas Dei essen-

tiam

tiam constituit metaphysicam: physica namque, quum in collectione omnium infinitarum eius perfectionum sita sit, nec comprehendi, nec assignari ab homine potest (§. 131.).

* Eodem fere modo seipsum Deus definivit, quum Mosi quaerenti respondit: *Ego sum qui sum. Exod.* III. *v.* 14. Id enim indicat *necessarium*: quia quum absoluta necessitate exsistat, non potest non esse. Hinc Plato *entis* vocabulum soli aeterno et immutabili enti tribuebat; cetera vero *τα μη οντα*, *non entia*, vocabat. Laert. *Vit. phil. Lib. III. segm.* 64.

459. Quum autem ens necessarium sit ens a se (§. 139.), rationemque suae exsistentiae sufficientem in propria essentia habeat (§. 58.): nullo negotio intelligitur, Deum quoque recte definiri per *ens a se**; atque hanc definitionem cum nostra verbis tantum differre, re tamen idem esse. Porro, quum ens necessarium sit absolute perfectissimum (§. 139.): Deum quoque per *ens absolute perfectissimum* definire possumus **: nulla namque realitas est, quae in Deo absolute, & sine ullo limite, vel gradu non reperiatur.

* Hoc modo Deum Scholastici definiverunt, eorumque definitionem adoptarunt Theologi. Vides ergo definitionem nostram cum Theologica optime congruere.

** Nempe, quod omnes realitates absque gradibus, vel limitibus actu possidet (§. 129.), et alias quidem *formaliter*, ut intellectum, vo-

luntatem, libertatem, sapientiam; alias vero *eminenter*, nullis nempe defectibus admixtas, quae realitates limitatas in entibus creatis obvias nobilissimo quodam modo supergrediuntur, ut reliquae omnes. Non est igitur, quod blateret Auctor libri *Les lettres Persannes*, arguens Philosophos, qui Deum ut ens perfectissimum considerant, eosque, ait, pugnantia Deo tribuere, quia aliquae realitates sunt limitatae.

460. Quum ergo Deus sit ens necessarium (§. 458.); hoc autem, utpote infinitum (§. 139.), actu exsistat, nec possit non exsistere (§. 133. 140.): sequitur 1. ut nemo sanae mentis Dei exsistentiam inficiari ausit *. Rursus, quoniam mundus (§. 150.) omniaque entia in eo posita sunt contingentia (§. 165.), quae rationem sui sufficientem in ente necessario habent (§. *eod.*); ea vero exsistunt ** (§. 156.), ideoque entis necessarii exsistentiam evincunt (§. 35. 140.): consequens est 2. ut Deus exsistat ***.

* Haec exsistentiae Dei demonstratio, dummodo methaphysicis meditationibus animus adsueverit, adsensum etiam ab invito extorquebit. Nihil enim est, nisi plumbei porsus esse velimus, quod eius validitatem labefactare possit.

** Et quidem in absurda Materialistarum hypothesi exsistit materia: in Idealistarum delirio exsistunt animae humanae: in Egoistarum fanatismo exsistit saltem una eorum anima. Harum autem rerum exsistentium ab ipsis positarum nullam absoluta necessitate exsistere, ipsarum mutabilitas quemque convincit. Sunt igitur omnia contingentia. Vide, ut ipsis absurdis aberrantium

so-

sophistarum principiis Dei existentia superstructa firmetur.

*** Non est ergo, quod Clarkii argumenta risui, suo more, exponat D. Voltaire, nec illa veluti enumerans parum roboris habere dictitet *Trait. de Métaphysiq. chap.* 1., nec, quod Dei exsistentiam rationis ope vix demonstrari posse, dicat March. d' Argens *Phil. du bon-sens. Tom.* I. *Réflex.* III. §. 2.. Si namque communi sensui valedicere, rationemque negligere nolimus, quantum roboris metaphysica haec argumenta habeant, fateri debemus.

461. Deinde, quia omnia mundana entia ordinem servant constantem (§. 203. *seqq.*), & ad finem tendunt (§. 187. *seqq.*), tam mirificis colligata nexibus (§. 150.); contemplatio vero operis ad Artificis considerationem quoque ducit (§. 35.): nam casu, & sine caussa creari non poterant, nec conservari (§. 155.); artifex autem est ens necessarium (§. 165.), idest Deus (§. 458.): evidens ergo est 3. Dei exsistentiam ab ordinis etiam mundani consideratione demonstrari. *.

* Ecquis vero est tam hebes, qui aequabiles motus siderum et planetarum, ordinem et varietatem in mundo perviam, omniaque fixa et constanti lege cursum suum servantia ignoret, ab effectu vero caussam agnoscere nesciat? Tantum firmitatis, et evidentiae habet haec demonstratio, ut oculis vere captus dici debeat impius Auctor opusculi *La Métaphysique des aveugles*, qui frustra eam debilitare nititur. Legendus super hoc Cicero *De nat. Deor. Lib.* II. *cap.* 5. 40., Nevvtonus *Optic. quaest.* 13., Hook *Rel. nat. & rev. princ. Part.* I. *Sect.* I. *arg.* 5., aliique innume-

 ri.

ri. Ea de caussa tot clarissimi nominis Philosophi Dei existentiam ab eiusdem operibus tam apte monstrarunt, ut idem ipse Diderot ipsis se convictum esse fateatur; et Voltaire apertissime dicat: *nullum opus sine artifice concipi posse* (1).

462. Sunt & aliae hoc super argumento rationes. Nam quam omnes omnium temporum, & locorum Philosophi, homines, & Nationes, ne barbaris quidem exceptis, summa & constanti consensione Divinitatis ideam admiserint *, idemque atheorum coriphaeus Epicurus Divinitatem confessus sit **; in omni vero re, teste Cicerone, omnium gentium consensio lex naturae putanda sit *†*, infertur 4. etiam ex hoc capite Deum exsistere.

* Nam, ut de philosophis taceamus, quorum sententias eorum opera ostendunt, et historia philosophica ubique testatur, omnium gentium, sive barbarae illae fuerint, sive cultae, sive antiquiores, sive recentius detectae, de aliqua divinitate confessio ex omnium, sive Historicorum, sive Geographorum, sive etiam Viatorum, monumentis, libris, relationibus adparet: ita ut nulla sit tam barbara, tam rudis, silvestrisque Natio, quam nulla Divinitatis cognitio penetrarit.

(1) *L' Univers ne nous atteste-t il pas qu' il est l' ouvrage de cette intelligence? Si une simple maison bâtie sur la terre, ou un vaisseau qui fait sur les mers le tour de notre petit globe, prouve invinciblement l' existence d' un Ouvrier, le cours des Astres & toute la Nature démontrent l' existence de leur Auteur*. Voltaire Tom. XXXII. Homel. 5.

rit. Longum foret, singillatim eorum texere catalogum, qui omnes omnium populorum sententias retulerunt, quippe in regionibus nullo fere humanitatis sensu praeditis aliquam Divinitatis ideam invenerunt.

** Epicurus enim Deos admisit, sed eos felices, nempe otiosos dixit. Fatemur equidem, hunc Divinitatem sustulisse eo ipso, quo illam stabilire voluit: nam rerum humanarum curam, idest providentim, iis adimens, praecipuam Divinitatis notam, adeoque ipsam Divinitatem reiiciebat. At, quod aeque libenter ab adversariis admittendum est, Atheus ipse Divinitatis ideam, saltem imperfectam, habebat, id quod existentiae Dei maximum est argumentum.

*** Nec obstat, quod Petrus Bayle, et Marchio d'Argens inventos fuisse, dicant, apud Sinenses, qui Dei existentiam negaverint. Nam, etiamsi hoc verum sit, quod tamen negamus: paucorum exemplum universali hominum consensui obesse non potest, cum nulla sit inter minimum illum libertinorum numerum, totumque genus humanum proportio. Et si hodie in tanto litterarum splendore, ac Regionibus omni eruditionis genere excultis inveniuntur, qui Divinitati insultare ausi sunt: quid mirum, si in gentibus incultis aliquid eiusdem furfuris homines inventi sint? Numquid, quod aliquot abhinc annis perditi homines pestiferis libellis Europam invaserunt, dicere possemus, hanc esse totius Nationis sententiam? *Nulla namque gens est*, inquit Tullius, *neque tam immansueta, neque tam fera, quae etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, habendum tamen esse nesciat*. *De legib. Lib.* I. Subiiciunt increduli: consensum hunc universalem a multis caussis esse profectum; et primo quidem a Legislatorum astutia, ut subditos suos in obedientia Religionis fraeno continerent. Ita Critias apud Sextum Empiricum *Lib.* I. *adv. Physic.*, Tolandus *Adeisidaem.* §. 5. 6., Hobbes

Leviath. cap. 12. Hoc autem, licet falsissimum agnoverit, et ostenderit Petrus Bayle *Diction. Hist. crit. art. Abdas Remar. B.*, innumeris tamen augmentis in nihilum redigitur: quamvis haec Atheorum confessio Religionis necessitatem in cuiusvis Reipublicae regimine, ut firmissimum Societatis vinculum, evincat. Sed quaerimus: undenam didicerunt, eam a Legislatoribus fuisse confictam, a quibus, quo tempore, quove artificio? Ad haec nihil, nisi inanes exclamationes, subiungi videmus. Numam, aiunt, Romanis a Nympha Egeria; Zoroastrem Bactrianis a Dea Vesta; Minoem, et Rhadamanthum Cretensibus a Iove; Lycurgum Lacedemoniis leges laturum, eas ab Apolline accepisse, commentos esse. Si vero eorum argumenta perpendamus, videbimus, Viros illos non opinionem Divinitatis in populos infudisse, sed leges a se latas Diis, quibus populi singuli credebant, quorumque scientiam habebant, retulisse, ut religione firmatas iis acceptissimas redderent. Quod si Religionem aliquam comminisci voluissent; rudes tantum, non etiam sapientes in fraudem inducere potuissent, ut praeclare Lactantius *De ira Dei cap.* 10. scribit. Rursus, metum in publicis calamitatibus, aiunt, homines ad efformandam sibi Divinitatis ideam coegisse. Ita Petronius *Fragm. pag.* 676. *edit. Burmann.*

Primus in Orbe Deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina quum caderent . . . .

et post eum Lucretius *de Nat. rer. Lib.* VI. *v.* 40., Spinoza *Praef. ad tractat. theol. polit.*, id quod tragico stilo amplificavit Boulanger *Recherch. sur l'orig. du despotism. Orient. Sect.* 3. exscripsitque Auctor *du Systeme de la Nature Part.* II. *chap.* 1., aliique eiusdem furfuris Libertini. Quum autem recentes isti litteratores nullum praesumtae realitatis hujus adferant argumentum, inter innumera eorum somnia, principiique petitiones referenda. At possibile id erat, inquiunt: licet tamen possibile fuerit, non ideo ita fuisse dicendum est, quum a possibilitate ad existentiam con-

conclusio duci nequeat (§. 53. *not.* 3.). Sed posito, quod res ita se habeat, qua ratione pauci imbecilles reliquis fortioribus, atque intrepidis fabulam hanc in animum inducere, eamque per tot saecula ad nostrum usque constanti traditione ad posteros demandare potuerint, nec intelligimus, nec intelligi potest. Quod si universalem fuisse dicant hunc timorem, de Atheorum caussa actum est: universalis enim metus quamdam naturae insinuationem, secretumque arguit iudicium, quod fallere nequit. Nec iuvat quod Lucretius *Ibid. v.* 52., id a caussarum ignorantia profluxisse, dicat: ignorantia namque ad Atheismum potius, quam ad Religionem ducit, ut sapienter Verulamius: *Certissimum est*, ait, *atque experientia comprobatum, leves gustus in philosophia movere fortasse ad Atheismum; sed pleniores haustus ad Religionem reducere*. *De augment. scientiar. Lib.* I. *circa init.* Tandem instant: Dei ideam inter infantiae, educationisque praeiudicia enumerari debere. Sed age videamus, quaenam sint notae praeiudiciorum? tria porro: nempe brevitas temporis, restrictio loci, et ignorantia (§. 110. *Log.*): Prima quidem hic non observatur: quia per tot saecula Dei existentia constanter, immo magis magisque hominibus innotuit. Altera procul hinc abest: nam per totum Orbem est diffusa. Tertia nusquam observatur: etenim non modo rudes, sed et ipsi quoque sapientes, quorum est praeiudicia corrigere, eam constanter tenuerunt, fassi sunt; et licet educatio pro diversis regionibus sit diversissima, in hoc tamen omnes convenerunt. Falsum ergo est, eam esse educationis consequutionem: sed potius communis naturae vox dicenda est.

463. Praeterea 5. sensus cuiusque internus Deum exsistere clare, & constanter evincit. Nihil enim conscientiae latratus, quos sontes sentiunt, indicant, nisi exsistere ens aliquod, a cuius conspectu, etsi

homines lateant, aufugere nullo modo possunt, cuiusque iudicia pertimescunt. Oculorum in coelum elatio, superiorisque adiumenti naturalis in necessitatibus imploratio, quae passim in hominibus observatur, eos de exsistentia Dei convictos ostendit, nosque de palpabili hac veritate convincit *.

* Vtque denuo educationis praeiudicium appellari nequeat, D. Rousseau in opusculo *l'Elève de la Nature*, Dei cognitionem naturaliter in homine ferarum instar educato sola sui, mundique consideratione provenisse demonstrat: quamvis liber hic Auctoris erroribus scateat, et ad Deismum pronam aperiat viam.

464. Demum, quia sublata Dei exsistentis idea, nulla foret animae immortalitas, nullae facinorum poenae, nulla lex, nullum iniquitati fraenum, sed omnes homines pravis cupiditatibus parentes bonum, malumque aeque aestimarent, omne ius fasque pessum darent, publicamque turbarent tranquillitatem: sequitur 6. ut absque Dei cognitione nulla tranquillitas haberi possit; adeoque 7. societas absque illa persistere nequeat. Hinc, quoniam societates exstiterunt, atque exsistunt, actionumque moralitas tam interna, quam externa habetur: consequens est 8. ut etiam ex hoc principio Deus exsistat *.

* En rationem politicam exsistentiae Dei. Hinc est, ut Atheorum Respublica in imaginatio-

tione Petri Bayle exstructa *Pens. divers. sur la comet.* §. 161. *& suiv.* inter entia chimerica, ac proinde ἀδύνατα sit enumeranda, quum bene monuerit Plutarchus *contra Colot. Epic. pag.* 1125.: *Facilius urbem condi sine solo posse, quam opinione de Diis penitus sublata, civitatem coire, aut constare*. Philosophi vero Roterodamensis obiectionibus, ne longius provehamur, coram respondebimus.

CAPVT SECVNDVM

De Dei attributis.

465. ATTRIBVTA Dei dicuntur *illae proprietates, quae ab eius essentia metaphysica fluere concipiuntur*. Eorum autem ideam efformamus, vel considerando quid realitatis in rebus creatis insit, idque Deo illimitatum tribuendo, eaque attributa dicuntur POSITIVA; vel rerum creatarum imperfectiones a Deo removendo, & vocantur NEGATIVA*.

* Nimirum, quum Deus sit actus purissimus, nulla realis adest inter eius attributa distinctio, sed tantum logica ad nostrum captum adcommodata conficitur: id quod contra Gilbertum Porretanum decrevit Concilium Rhemense, praeside Eugenio III., agente vero S. Bernardo. Ea porro de caussa, quum eius perfectiones concipere nequeamus, omnes rerum creatarum perfectiones Deo sine limite tribuimus; imperfectiones vero ab eo removemus, unde *negativa* vocata sunt, non quod perfectionis alicuius in Deo defectum arguant, sed ut nostram imbecillitatem adiuvent. Proprio tamen nomine omnia Dei attributa positiva sunt. Aliam adhuc distinctionem alii faciunt, et postquam Dei attributa in negativa, et posi-

tiva distribuerunt, haec rursus in *absoluta*, et *relativa*; deinde vero in *quiescentia*, et *operantia* dispescunt. Sed de his quaedam in praelectionibus dicemus.

SECTIO I.

De attributis Dei negativis.

466. NEGATIVA Dei attributa sunt, *quae imperfectionis alicuius absentiam in Deo significant, ideoque particula negativa* IN *plerumque exprimuntur* *.

* *Plerumque* diximus: nam quaedam Dei attributa, licet negativa sint, nullam tamen negationem habent adfixam, ut *simplicitas*, *aeternitas*, *unitas*, quae licet ab aliquibus positiva esse dicatur, quia tamen exprimit impossibilitatem multiplicationis Divinae naturae, omnino negativa putanda est. Alia vero sunt *independentia*, *infinitas*, *immutabilitas*, *immensitas*, *incomprehensibilitas &c.*

467. Quum itaque Deus sit ens necessarium (§. 458.): sequitur 1. ut sit independens (§. 139.), 2. impassibilis *, nam passio dependentiam indicat (§. 130.), 3. infinitus (§. 139.), 4. immutabilis (§. *eod. n.* 17.); 5. immensus ** (§. *eod. n.* 16.).

* Nec est, quod grammaticus aliquis dicat, Deum pati, quum dicimus eum *amari*, *timeri*, *coli*: id enim solam cum hominibus relationem respicit, ut ab his omnia erga Deum officia serventur, ut in Iure Naturae dicemus.

** Nem-

** Nempe ubique praesens est: alias enim si alibi tantum esset, aliunde vero abesset, imperfectio in Deo argueretur. Cave tamen credas, Deum reali quadam sui extensione ubique inveniri, id enim eius simplicitati et infinitati repugnat (§. 129.), ipsi omnipraesentiae obest, et ad Pantheismum (§. 173.) facilem sternit viam: id quod veteribus accidisse, historia philosophica testatur.

468. De eadem Dei definitione (§. 458.) consequitur 6. Deum esse ens simplex (§. 139.), eique omnia entis simplicis praedicata convenire, servata ubique proportione *, 7. esse aeternum ** (§. *eod. n.* 15.), 8. et unum, sive unicum (§. 140.).

* Huic Dei attributo opponuntur 1. PANTHEISMVS, absurda nempe illorum opinio, qui mundum a Deo per essentialem emanationem ortum, Deive substantiam varie modificatam esse contendunt, quorum errorem confutavimus in Cosmologia (§. 173.), 2. ANTROPOMORPHISMVS, idest error a veteribus quamplurimis, Aegyptiisque quibusdam Monachis adoptatus, Deo corpus humanum, imaginem formamque tribuentibus, qui propterea ANTROPOMORPHITAE dicti sunt, idemque Hobbes non fuit ab hoc errore alienus *Append. ad Leviath. cap. 1. pag. m. 345. cap. 3. pag. 36.* Sed hanc opinionem a difficultate Dei conceptum efformandi natam esse, quisque videt. *Vid. Cic. de Nat. Deor. Lib. 1. cap. 27.*

** Adeo proprium Deo est hoc attributum, ut nemo ex Veteribus exstiterit, qui id de ipso non enunciaverit. Inter plurimas Thaletis Milesii sententias haec de Deo ferebantur: πρεσβυτατον των οντων θεος, αγεννητον γαρ. *Antiquissimum*

entium, Deus, ingenitus enim. τι το θειον; το μητε αρχην εχον, μητε τελευτην. Quid Deus? quod initio & fine caret. Laert. *Lib. I. cap.* 1. *segm.* 9. Ideo ergo Deus dicitur α, et ω, nempe principium, et finis: nam nec illo prius, nec posterius inveniri, aut saltem excogitari potest. Nec est, quod in aeternitate successio admittatur: haec enim in tempore locum habet. *Est, erat, & erit*, inquit Plato *in Timaeo*, *partes sunt temporis, & male transferuntur ad naturam aeternam. Huic EST tantum competit; erat vero, et erit pertinent solummodo ad res in tempore fluentes, sunt enim motiones. Illa semper immutabilis natura nec senior, nec iunior ullo modo esse potest.* Hinc ergo sequitur, in Deo non dari praeteritum aut futurum, sed purum et simplex praesens; nempe omnia sive praeterita, sive futura simul ei praesentia sunt, unoque, ac simplicissimo actu manifesta. Hinc aeternitatem Boetius appellabat *interminatae vitae totam simul, & perfectam possessionem. De consol. phil. Lib. V. pros.* 6.

469. Quoniam ergo Deus est unicus (§. 468.): patet 9. quantum a recta ratione abhorreant POLYHEISMVS plures Deos admittens *, et MANICHEISMVS duo rerum principia statuens, sive Deos, unum bonum, alterum malum: quorum tamen systematum alterum superstitiosum, alterum vero flagitiosum plurimos habuere sectatores: et illud quidem etiam rudes; hoc autem eos, qui se solos sapere, ceteros volitare, veluti umbras, existimabant.

* Veteres quidem omnes superstitioso Deorum cultui addicti Polytheismo nomen dederunt; ex iis tamen sapientes, licet palam polytheismum profiterentur, clam vero unum Deum esse credebant,

bant, ut de Stilpone refert Laertius *Lib.* II. *cap.* 12. *n.* 5., de Zenone Eleatensi Aristoteles *Lib. de Xenoph. Zen. & Gorg. cap.* 3., de Antisthene Cicero *de Nat. Deor. Lib.* I. *cap.* 13., de Platone, et Pythagora Hierocles; idem etiam de Orpheo, Sophocle, Hesiodo, Aeschilo, Aristophane, Menandro accepimus. Notum est illud Zenonis Cirtiei effatum: *aut unus Deus, aut nullus*. Idem sensisse Cleanthem, textantur eius carmina a Lipsio in latinum versa, quibus Deum aiebat esse, *quo nihil melius sit, atque sublimius*. Zoroastris sententiam de unitate Dei refert Eusebius *Praep. Evang. Lib.* I. *cap.* 10., et Ostanis opusculum *Sadder*, in quo clare scribitur:

Scias primum, Dominum Deum tuum esse unum, sanctum,
Cui non est compar, est etiam dominus potentiae, & gloriae.

De Aethiopum gente loquitur Strabo *Rer. geogr. Lib.* XVII., ut et de Celtiberis, Aegyptiis, aliisque nationibus polytheismo addictis. Quamvis vero omnes illae superstitiosae gentes pluribus diis cultum praebuerint: unum tamen maximum, iisque praesidem, cuius nutu omnia regerentur, admisere Iovem. Vnde patet, Dei ideam in ipsamet ignorantia, et illusione cum pluralitate esse incompatibilem. Insaniunt ergo, qui ex idea polytheismi inter veteres diffusi gentium consensionem debilitare, eamque naturae vocem reiicere conantur.

** Manichaei, ut diximus (§. 191.), duo principia ponunt, alterum bonum, a quo bona cuncta; malum alterum, a quo mala omnia in mundo proveniant. Error hic a Zoroastre Persarum philosopho initium habuisse vulgo creditur, qui Deum supremum *Mithran*, docebat, hominibus incomprehensibilem duo inferiores deos genuisse, *Oromasden* bonum, *Arimanen* malum, perpetuum inter se bellum gerentes. Vid. Th. Hyde *Hist. rel. vet. Pers. cap.* 9. 20. Hanc vero fabulam inde ortam fuisse, quod Arimanius quidam Oromasdis

Pers-

Persarum regis, imperium quondam pervaserit, multaque diu inter se bella aequo marte confecerint, erudite docet Leibnitius *Theod. Part.* II. §. 138. Hinc ergo Manichaei, quos *Dualistas* vocant, opinionem suam varie exornarunt, fabulisque involverunt, cujus vero summa est: extare duo principia per se, aetate ac viribus aequalia, semper inter se pugnantia, bonum alterum bonorum omnium caussam, malum alterum malorum omnium productorem, unde bonorum malorumve mixtio in mundo orta. Sed quam absurda sit haec opinatio, vel ex eo patet, quod duo haec principia absolute repugnant. Nam si Manichaeorum similitudinem attendamus, nempe ea esse ut lucem et tenebras: quum hae sint nihilum privativum, principium illud malum erit purum nihil. Si vero quasdam perfectiones uni, alias vero alteri tribuant: tunc absurdissimum erit; ens a se non esse absolute perfectissimum. Praeterea in hac hypothesi, perpetua aequalium principiorum pugna nulla in mundo nec bona, nec mala produceret: nam vires contrariae et aequales quietem pariunt, ut physicis notum est. Nec eorum taedium ex diuturna pugna, foedusque initum a Petro Bayle exaggeratum *Dict. Hist. crit. art. Manichéens*, aliud est, quam puerile figmentum. Nam quum principium bonum Manichaeorum nullum malum permittere possit: quocumque modo foedus illud fuerit percussum, malorum permissio illi tribueretur, malorum culpa in eum reiiceretur; quo nullum maius absurdum excogitari potest. Praeterquam quod huiusmodi foedus cum principiorum illorum necessitate, et immutabilitate pugnaret, omnisque Philosophiae, rationisque principia destrueret. Sed his super ineptiis exspatiari stultitia maxima foret.

SECTIO II.

De positivis Dei attributis.

470. POSITIVA Dei attributa sunt, *quae perfectiones, in rebus creatis cum limite graduque obvias, absolutas & illimitatas in Deo inesse indicant*, ideoque vocabulis positivis exprimuntur. Huiusmodi sunt proprietates illae, quae infinitam cogitationem, infinitamque Dei amorem quomodocumque respiciunt, de quibus hic breviter agemus.

471. Quoniam Deus est perfectissimus (§. 459.), & infinitus (§. 467.): sequitur 1. ut nulla sit perfectio, quae non in Deo absolute, & absque ullo gradu reperiatur (§. 129.). Eius vero simplicitas (§. 468.), nisi purus spiritus esset (§. 395.), imperfectio foret: evidens ergo est 2. Deum esse purum spiritum, immo purissimum, & simplicissimum (§. 120. 129.), quousque infinita haec perfectio infinite dari possit; adeoque 3. intellectu, et voluntate praeditum (§. 122.), nullique umquam corpori unitum* (§. 305.); immo 4 intellectum Dei esse quoque infinitum, et perfectissimum (§. 60. *), qui proinde 5. omnia possibilia sibi simul distinctissime, et adaequatissime, unicoque actu repraesentat **.

* Em

* En aliud argumentum, quo Antropomorphitarum error refutatur, a quo tamen ne vulgus quidem est alienus, quippe qui solo sensus, atque imaginationis ductu iudicare adsuetus, ita Deum sibi repraesentat, quemadmodum in tabulis humana specie, vetustissimumque pictum observat. Et quia spiritus cum corpore unio sensum, phantasiam, appetitum sensitivum, atque affectus producit, nempe facultates cognoscendi, adpetendique inferiores (§. 253. *seqq.*) legitima consequutione nascitur, Deum sensu, phantasia, appetitu sensitivo, omnique prorsus affectu carere.

** In Deo omnis cognitio est intuitiva (§. 349.) nec ulla demonstratione, aut ratiocinio opus habet, quia nullae sunt veritates, quae ipsum latere possint, quaeque ratiocinando deduci debeant. Vides rursus, quam miserrime cadat absurda Epicuraeorum hypothesis. Nam si quisque se intelligentem sensu interno cognoscit; nequit vero plus esse in effectu, quam in caussa (§. 36.): non potest mundus entibus intelligentibus refertus a caussa non intelligente suam repetere exsistentiam: caussa vero intelligentia illimitata pollens Deus est.

472. Quum ergo intellectus divinus omnia possibilia actu, et simul distinctissime cognoscat (§. 471.): consequens est 6. ut semper agat, alioquin cum infinita perfectione pugnaret; adeoque 7. non sit facultas, ut in hominibus, sed actus: unde 8. nulla concipi in eo potest cognitionum successio, sed unus, et simplicissimus actus *, quo omnia distinctissime cognoscit.

* Idem tenendum de aliis omnibus Dei perfectionibus, adeo ut cum Theologi recte vocent

cent *actum purissimum*. Ideoque nulla in Deo potest concipi memoria: haec enim res praeteritas in praesenti reproductas agnoscit (§. 275.): in Deo autem nullum tempus est, adeoque omnia actu praesentia in tota aeternitate intuetur.

473. Ex eodem principio fluit 9. Deum infinita scientia praeditum esse, ac proinde omniscium *; ideoque 10. omnium veritatum possibilium, tam necessariarum, quam contingentium nexum perspectum habere, ac per consequens 11. ratione gaudere infinita (§. 353.); et esse infallibilem; 12. & mediorum ad fines tendentium, utpote caussarum cum effectibus suis connexarum, aeque infinitam habere scientiam; quae quum SAPIENTIA dicatur (§. 41.), liquido patet 13. Deum esse sapientissimum, nempe infinita sapientia praeditum.

* Cognoscit ergo Deus semetipsum, suaque infinita attributa, omniaque possibilia entia, sive facta, sive facienda, sive etiam in statu purae possibilitatis relicta, idque unico, et simplicissimo actu (§. 472.). Hinc est, quod Sacra Scriptura dicat, *omnia nuda, & aperta esse oculis eius*. Hac ratione diximus (§. 132.), scientiam hanc infinitam, si in se consideretur, OMNISCIENTIAM; si vero relate ad rerum successionem, PRAESCIENTIAM recte dici: nam in primo casu Deus omnia scit; in secunda tamen relatione ad nostrum captum adcommodata, Deus omnia scit ante tempus, quo futura sunt, etiam illa, quae a libera hominum voluntate pendent. Miramur ergo, cur doctrina haec Philosophorum veterum, ac recentium animos adeo torserit, ut quum Dei praescientiam cum humana libertate con-

conciliare non possent, vel illam, ut Cicero, et Socinus; vel hanc, ut Calvinus, aliique sustulerint. Nostra quidem sententia nihil est, quod faciliori via explicari, solvique possit. Nimirum, quia in aeternitate nulla successio est: nec praeteritum, nec futurum in ea locum habet (§. 168. 468. **), sed ut instans principio, et fine carens concipi debet. Hoc posito, quae ab hominibus per integram saeculorum seriem facienda erant, a tota aeternitate cum ipsis hominibus, eorumque facultatibus, consiliis, electionibus, mediorumque exsequutionibus, nullo cogente, sed libere adgrediendis, Deo praesentia fuerunt; adeoque Dei praescientia nullum habet in actiones liberas influxum: non enim ideo fiunt, quia praecognitae sunt; sed eas Deus ideo praevidit, quia futurum erat, ut ab homine fierent. Si tandem dicas, aeternitatis ideam ab hominibus efformari non posse; memento, eos successioni adsuetos, nihil, nisi successivum facile concipere. At quia finitum entis infiniti proprietatibus concipiendis est admodum incapax (§. 131.): Dei aeternitatem, eiusque infinitam, actualemque scientiam concipere nequit, nec eius maiestatem scrutari curiose debet, ne a gloria opprimatur. Dividitur a Theologis scientia Dei in scientiam NECESSARIAM, vel *simplicis intelligentiae*, qua nempe se rerumque omnium possibilitates agnoscit, et LIBERAM seu *visionis*, qua entia exsistentia pervidet, quibus addunt alii MEDIAM, qua sub conditione quadam futura novit: de qua tamen cognitione quidnam dici debeat, sanioris Theologiae cultores probe norunt, nosque in praelectionibus aliqua delibabimus. Quaenam vero sint eiusmodi cognitiones, nescire se dicit S. Augustinus *in Psal. 49. Ne hoc a me, ait, fratres, exspectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit, ut Angeli: & quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum.*

474. Quoniam autem Deus est spiri-

tus

tus, & voluntate gaudet (§. 471.), cum qua intellectus arctissime connectitur (§. *eod.*); omnes vero perfectiones in Deo sunt ab solutae, nullisque limitibus adstrictae (§. *eod.*): sequitur 14. ut Deus voluntate gaudeat perfectissima.

475. Actus Divinae voluntatis vel INTERNVS est, quo se, ut summum bonum, & infinitum infinito amore prosequitur; vel EXTERNVS, qui res a se distinctas respicit. Hi vero actus, quum simplicissimi sint, non sunt realiter in Deo distincti, ut clarius infra patebit.

476. Quum ergo Deus semetipsum distinctissime cognoscat (§. 473.), utque ens perfectissimum iam cognitum necessario amet (§. 362.), in hoc vero amore actus Divinae voluntatis internus consistat (§. 475.): intelligitur 15. cur Deus in actu voluntatis interno liber non sit. Quum autem ad voluntatem pertineat libertas (§. 472.), quae rursus, ut perfectio, in Deo reperiri debet (§. 471.): patet 16. Deum in actibus externis esse liberum, 17. eamque Dei libertatem esse infinitam, & perfectissimam *.

* Et recte: nam qui nos libertate donavit, servata proportione liber esse debet, ne plus sit in effectu, quam in caussa (§. 36.); omnes autem rerum creatarum perfectiones in Deo illimitatae sint, oportet.

477. Quia vero Deus est actus purissimus, omnesque eius perfectiones actus sunt, non facultates (§. 472.): liquet 18. voluntatem Dei esse purum actum, adeoque 19 Deum a tota aeternitate unico, & simplicissimo actu velle quaecumque vult*. Actus divinae voluntatis res ab eo distinctas respiciens DECRETVM Dei vocatur. Sequitur ergo hinc 20. ut decretum Dei sit immutabile **.

* Vnico ergo, simplicissimoque actu Deus se ipsum necessario amat; libere vero in res creatas fertur; ita ut idem volitionis actus pro diversitate obiecti dicatur amor sui, vel volitio creaturarum, verba sunt S. Thomae *Part.* I. *quaest.* 19. *art.* 2. *ad* 4. *art.* 3. *&* 5.

** Atque actus ille purus, ac simplicissimus, quo Deus vult quaecumque vult, quoad res creatas respicit, *decretum* Dei dicitur a Theologis, et quidem POSITIVVM, in quantum Deus aliquid efficere vult, veluti mundi creatio; PERMISSIVVM autem, in quantum permittere statuit quidquid fieri non vellet, nec id impedit, quum tamen alioquin impedire posset, ut permissio peccati. Decretum autem divinum esse immutabile, vel ex eo patet, quod Deus omnia possibilia distinctissime cognoscens (§. 471.), aeternumque exsistens (§. 458.), in quo nulla temporis successio concipi potest (§. *eod.* *), quidquid semel statuit, nequit successive mutare, tum ob eius immutabilitatem (§. 467.), tum quia aeternitas velut unicum punctum considerata nullam mutationis ideam exhibet. Quid autem, ais, preces fundere iuvat? Nimirum Deus quaedam nobis concedere statuit sub quibusdam caussis, et determinato quodam modo; adeoque eodem tempore, quo concessionem illam decrevit, preces a no-

nobis ipsi fundendas praesentes habuit, et praevidit: unde orationis necessitas evincitur. Vid. distinctius, et prolixius S. Thom. *Part. 1. quaest. 22. art. 4.*

478. BONITAS, sive BENEFICENTIA est *voluntas Dei immutabilis eas rebus creatis perfectiones, veramque felicitatem, quas earum natura patitur, tribuendi*; quae quum bona indignis praebet, eorumque miseriam commiseratur, et adiuvat, MISERICORDIA vocatur. Quum ergo Deus sit absolute perfectissimus (§. 458.), nullaque perfectio concipi possit, quae non in Deo illimitata reperiatur (§. 471.): sequitur 21. ut bonitas, et misericordia, quae vere perfectiones sunt, inter Dei attributa sint enumeranda; adeoque 22. Deus sit infinite bonus, & misericors *.

* Habes hic infinitam Dei bonitatem aeque, ac misericordiam a priori demonstratam. Sed opus est, ut eam a posteriori quoque probemus, ne incredulis quidquam praesidii relinquamus.

479. Quoniam vero res creatae sunt ex nihilo productae (§. 165.), nihil ante creationem realitatis habebant (§. 115.); ac proinde quidquid boni habent, a Creatore in exsistentiae initio acceperunt; Creator autem est ens necessarium (§. 165.), nempe Deus (§. 458.): quaecumque igitur perfectio in rebus creatis obvia, iis a Deo libero concessa fuit. Quum itaque omnia

omnia entia bona sint (§. 78.), multasque realitates, ac perfectiones pro eorum naturae capacitate habeant, ut experientia testatur: consequens est 23. ut Deus sit infinite bonus, sive optimus *.

* En absolutam a posteriori demonstrationem, quae tamen a sophisticis Manichaeorum, Epicuraeorumque obiectionibus est vindicanda. Adfirmant enim, mala in mundo obvia cum divina bonitate pugnare. Id vero est, quod negamus. Nam si de malo, quod aiunt, metaphysico sermo sit, id revera non dari, in Ontologia demonstravimus (§. 78. *): numquam enim malum dici potest id, quod entis boni essentiam constituit. Si ergo omne ens creatum bonum est (§. 78.), limitatio, quae eius essentia est, bonum erit, eamque malum metaphysicum appellare, est terminis ludere. Malum quidem huiusmodi esset, si in rebus creatis limitatio desideraretur, hoc est si ens illud essentia sua destitueretur; tunc enim in eo non inveniretur, per quod in classe rerum creatarum constituitur, et ab ente increato distinguitur, inauditumque enasceretur absurdum, ens nempe finitum infinitum (§. 15.). Sed quia entis essentia est absolute necessaria (§. 55.): creata res sine limitatione exsistere nequit (§. 36.). De malis ergo physicis, et moralibus tantum quaestio esse potest. Et ut ab illis incipiamus: id principii loco statuendum est, hominem ad veram felicitatem, ad quam vehementissimo naturae ipsius desiderio fertur (§. 295.), esse creatum. Hoc posito, quaecumque ad finem illum mediorum locum habere possunt, bona sunt, quia ad hominis perfectionem tendunt (§. 289.) quidquid autem impedimento est, quo minus finis ille obtineatur, malum est, quia imperfectionem ei conciliat (§. *eod.*). Mala ergo physica, ut sunt dolores, aegritudines, similia, licet relate ad statum hominis physicum talia sint, in se tamen, et relate ad eius finem bona sunt. Si namque

que homo ab huiusmodi malis esset immunis, a voluptatum illecebris allectus, et ad temporariam adparentemque felicitatem sensuum, et phantasiae oblectamentis inclinatus, nunquam ad veram felicitatem adspiraret, nec media ad eum finem ducentia exquireret, quo casu veram sui perfectionem negligens, rationemque pravis cupiditasibus subiiciens, a fine suo aberraret, et pro felicitate infelicitatem incurreret. Malorum ergo physicorum absentia maximum foret ad veram felicitatem impedimentum, adeoque malum. Contra vero malis physicis de transitorio huius vitae curriculo, deque altera vita praeter hanc expetenda homo edocetur, atque ita admonitus nusquam se noxiis adfectibus dedit pessumdandum; rationis ac religionis ductu eos coercens omnes actiones suas ad propriam perfectionem dirigit; et si quando a recto tramite deflexerit, malis illis correptus, et correctus in viam redit. Praeterea nihili, ex quo extractus est, seque nihil, quod non a Deo acceperit, habere, unde ei acceptum ferendum, eiusque axilium omni in re implorandum esse, admonetur: uno verbo, ad virtutum exercitium, vitiorumque fugam adducitur. Quae omnia, et alia similia malorum physicorum effecta tot media procul dubio sunt ad veram felicitatem ducentia, veramque hominis perfectionem promoventia, adeoque bona (§. 289.), et cum infinita Dei bonitate, quae hominem ad finem optimum direxit, optime conveniunt. Et ut quaedam specialius attingamus, malorum physicorum alia sunt necessariae actionum nostrarum consequutiones, quibus homo a patrando malo absterretur, suntque motiva obligationis naturalis, adeoque ad hominis perfectionem directa; alia ab homine homini inferuntur, quae quum sint mala moralia, a Deo tantum permittuntur, ut mox dicemus, eaque ab optimo Deo ad optimum finem diriguntur, ita ut ad puniendos, exercendosve homines sint ordinata, ut praeclare docet S. Augustinus: alia a Deo mittuntur tamquam motiva obligationis positivae, ut homo legi obsequatur, at-

atque in eo ad felicitatem tendat; alia denique ab ipsa hominis natura proveniunt, ut affectus, et pathemata, ea vero per se, concedentibus Adversariis, innocua sunt; bona tamen, aut mala fiunt, prout iis libere utimur. Si ergo mala evadunt, non Dei, sed nostra culpa id accidit, eoque magis Dei bonitas elucet, quo nobis media proposuit, ut ex ipsis humanae naturae imbecillitatibus bonum eruere possimus. Quod si a nobis nostrum bonum negligenter non deducitur, a Deo tamen universi bonum sapienter eruitur: idque evidenter agnovit D. Rousseau, qui inde concludit: *Si in praesenti systemate dici nequit, omnia bona esse, dicendum tamen, universum bonum esse:* nam omnia mala physica et moralia a supremo Moderatore ita sapienter ordinantur, ut inde maius Vniversi bonum miris modis exsurgat. *Lettr. de J. J. Rousseau a M. de Voltaire*. Quod autem ad mala moralia spectat, quae in libertatis abusu ad hominis infelicitatem, imperfectionemque ducente consistunt (§. 28). *), quum ea Deus aeterna lege vetuerit, nec vult, nec velle potest, sed tantum permittit: scilicet quum hominem libertate donaverit, suique arbitrum effecerit, quamvis peccata impedire posset, ea tamen non impedit, vires activas in agente conservat, eumque pro lubitu agere sinit. Sicuti ergo nullam homini iniuriam facit, immo semel datam ei perfectionem dare pergit, quum maximum ipsi donum, nempe libertatem, etiam dum ad violandam legum sanctitatem eo abutitur, illaesum servat: ita nullum Bonitati suae detrimentum adfert haec malorum moralium permissio; eo namque casu homo in libertate arbitrii sui constitutus, omnibusque ad eligendum bonum praesidiis instructus, sibi peccat, si quid peccat. Recte ergo idem D. Rousseau *loc. cit.: malorum moralium*, ait, *nom alibi quaerendam esse originem, quam in homine libero*. Immo si libertatem homini Deus adimeret, eumque necessitati, ut bruta animantia, subiiceret, nulla alia perfectio elucere, nisi sola potentia: at in agentibus rationalibus liberisque gubernandis in-

infinita sapientia, misericordia, iustitia, ceteraeque Dei perfectiones maxime patefiunt.; eos enim intellectu ad cognoscendum, voluntate ad amandum, libertate ad eligendum, merendumque verum bonum instruxit: sanctissimas leges, sive actionum normas, sanctione fulsit, ut propositis praemiis, ac poenis, homines ad bonum eligendum allicerentur, a malo autem patrando absterrerentur. Quod si neglecta legum sanctione, omne ius fasque contriverint, non Dei, sed sua culpa promeritis cruciatibus addicendi sunt. Nec est, quod Bayleus quaerat.: cur non eos Deus gratia efficaci roboraverit, et ita immunes a lapsu reddiderit? nam praeterquam quod doctrina haec non amplius ad Philosophiam, sed ad Theologiam revelatam pertinet, quia tamen ad revelationem adversarii provocant, ea nos respondendo utimur. Idem terminus GRATIA a Bayle prolatus indicat, eam non iure aliquo, non debito, vel necessitate, sed GRATIS a Deo concedi. Si ergo eam alicui denegat, nullam ei iniuriam infert, nec ideo malus dicendus est. Quia vero liberalissimus, ac beneficentissimus Deus gratiam cuique sufficientem, omniaque auxilia, quibus bene agere possit, liberaliter concedit, multo magis elucet optimi Dei infinita bonitas, hominisque malitia, qui neglectis omnibus praesidiis saluti suae non prospicit, et male agens poena dignus evadit. Hic se torquet Auctor *du Systême de la Nature. Part. II. chap.* 3., eique conclamant ceteri Epicuraei. *Quaenam*, aiunt, *iustitiae ratio est, hominem pro parvo momentaneoque peccato aeternum cruciari debere?* His abunde respondit S. Augustinus: *Sic autem*, ait, *quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, iniustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, poena quisque damnetur aeterna, quasi ullius id unquam iustitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Octo genera poenarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam,* ex-

exsilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus pro cuiusque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum? . . . . Iam vero damnum, ignominia, exsilium, & servitus, cum plerumque sic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro huius vitae modo similia poenis videntur aeternis? Ideo quippe aeterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quae his plectitur, porrigitur in aeternum, & tamen peccata, quae vindicantur longissimi temporis poenis, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam exstitit, qui censuerit tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis, & impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quae perbrevis est, eius supplicium leges aestimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate morali homines supplicio primae mortis, hoc est de illa civitate immortali homines supplicio secundae mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges huius civitatis, ut in eam quisque revocetur occisus, sic nec illius, ut in vitam revocetur aeternam, secunda morte damnatus. De Civ. Dei Lib. XXI. cap. 11. Vt autem plenius S. Doctoris responsio illustretur, sciendum est, Deum triplicem in mundo posuisse ordinem, physicum unum, alterum metaphysicum, tertium moralem: et ut illorum conservationi physicis, et metaphysicis; ita et huius moralibus legibus consuluit, addita his sanctione, ut qui ordinem turbaret, ab ordine ipso tamdiu puniretur, quamdiu turbationis illius duraret effectus. Illi inviolatis legibus, quibus reguntur, integri subsistunt; hic autem violatis legibus moralibus ab homine turbatur. Tamdiu ergo poenae addictus peccator hic esse debebit, quamdiu ordinis moralis perturbatio maneat. Atqui homo natura sua restituendo ordini ineptus est, nec efficere potest, ut factum sit

sit infectum: ordinis ergo perversio aeternum durabit, atque adeo poena. Huic naturae imbecillitati Theologia revelata succurrit, mediaque ad restituendum ordinem apta ab optimo Deo suppeditata commonstrat, ut qui ea rite adhibeat, illum in pristinum statum redigere possit. Si igitur homo effraenibus cupiditatibus laxans habenas, non modo leges violet, sed et media ab optimo Deo praestita negligens, ordinem moralem in perturbatione illa relinquat, quaenam iustitiae ratio non exigit, ut aeternas aeternae perversionis poenas luat? Huiusmodi vero poenae non aliae esse debent, quam quae ab ordine ipso irrogantur. Nimirum quia homo ad summum bonum natura ordinatus, id legem violando neglexit, eoque ordinem turbavit, idem ordo postulat, ut summo illo bono, ad quod natura vehementissime fertur, perpetuo careat: idque indicat S. Doctor *Ibid. cap.* 12., dum ait: *Et factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum*: in iis vero praecipue facultatibus puniatur, per quas ordinem peccando violavit, ut fusius suo loco dicemus. Quod quum ita sit, cur non et bonitatem divinam hic emicare, Deique optimi gloriam in puniendis iustissime impiis patefieri adfirmabimus? Hoc modo responderi poterit ad omnia Epicuri, eiusque Sectatorum, ipsiusque Petri Bayle sophismata, quibus Divinam bonitatem impetere conantur: ex hoc enim omnes difficultates resolvuntur.

480. At quia Deus est actus purissimus (§. 472. *): nulla inter eius attributa realis distinctio dari potest (§. 457.) adeoque quodlibet eius attributum est ipse Deus (§. *eod.*). Quum ergo bonitas infinita sit Dei attributum (§. 478.): infertur 24. Deum esse bonitatem infinitam, sive bonum per essentiam (§. 77.); adeo-

que 25. Deum esse summum bonum * (§. 302.).

* Et quidem summum bonum dicitur, quod vel intensitate sua reliqua bona superat, vel omnia bona in se continet (§. 302.). Deus vero, utpote bonus per essentiam, reliqua bona, quae sui tantum sunt participationes, infinite excedit, ut autem infinite et absolute perfectissimus (§. 459.), omnes possibiles realitates ac perfectiones in se simul continet. Vnde si homo media opportuna non negligat, id est legem servet, Deum possidebit, qui quoniam omnium bonorum auctor, et dator est, homini veram, completamque perfectionem communicat, animamque in omnibus suis facultatibus perficit. Et quia Deus est infinitus, quo nihil majus concipi potest (§. 129.), nullum aliud bonum est, quod supra Deum appeti possit, immo nihil bonum, nisi solus Deus. Quia tamen homo natura sua bonum adpetit (§. 294.); ubi vero boni veri et infiniti possessio, ibi nullum desiderium, sed plena satietas (*per sensum communem*): Deus ergo solus omnia hominis desideria explere potest, eique veram tranquillitatem adferre. Vides hinc, summi boni characteres (§. 303. *seqq.*) soli Deo competere, adeoque ipsum esse summum bonum (§. 86. *Log. ax.* 3.). Et quoniam summi boni possessio felicitatem absolvit (§. 302.): recte colligimus, Deum esse omnis felicitatis fontem.

481. IVSTITIA, ut praeclare ait Wolffius, est *bonitas sapienter administrata* *. Quum itaque Deus sit optimus (§. 478. *seqq.*), et sapientissimus (§. 473.): quin bonitatem suam summa sapientia administret, dubitari nequit; ac proinde 26. Deus est infinite iustus **.

* Id quidem est iustitia etiam in hominibus.

In

In puniendis enim maleficis princeps bonitatem suam erga rempublicam sapienter administrat, quia delicta publicam tranquillitatem turbant; poena vero homines a delictis absterret, adeoque bonum commune amat. Est sapienter bonus etiam erga reum, quia non nimis crudeliter in eum insaevire videtur, ut amorem erga singulos prodat; ac proinde viam inter summam saevitiam, et lenitatem mediam eligit, ut in omnes ac singulos aeque bonus sit.

** Non desunt tamen, qui divinae justitiae inficias ire putant, quod bonis mala, malis autem bona eveniant. Mirum quidem est, quantum in diiudicanda hominum bonitate, vel malitia homines isti faciles sint! Quid autem sciunt, aut quid de homine iudicant, nisi solam superficiem? Sed posito, quod ita sit, nullum hominum, utut maxime iustum ac pium, suis carere defectibus et peccatis; nullum vero, quamvis impium, non aliquas edere actiones bonas, tam certum est, quam quod certissimum. Divina ergo bonitas sapienissime administrata, quum nullum bonum irremuneratum, nullum contra malum relinquat impunitum, in bonis autem omnia paene videat aeternis digna praemiis, quaedam tantum mini na poenis, mala his in vita mittit, ut defectuum illorum poenas luant, sicque velut aurum in fornace ad maximam redacti puritatem, ad praemium possidendum ascendant, quo nihil coinquinatum ingredi potest. At in malis omnia observans aeternis damnanda suppliciis, pauca tamen parvis digna praemiis, haec in mundo temporariis remuneratur bonis, ut postea aeternum puniendi descendant: hoc autem discrimine, quod mala bonis solatium praebent, ac fiduciam in Deum augent; bona impiis pro onere sunt, *quippe quos sui moris pudet, quique suimet contenti non sunt*, ut palinodiam canens inquit Auctor *du Systeme de la Nature Part. II. chap. 12. pag. 290. edit. de Londres du 1781.* : prima namque haec est

 ul-

ultio, *quod se iudice nemo nocens absolvitur*. Iuvenal. *Sat.* 13.

482. VERACITAS est *constans & firma voluntas mentis conceptus, uti sunt, exprimendi*. Quum itaque Deus sit absolute perfectissimus (§. 459.); veracitas autem sit perfectio, quia sensus interni cum signis externis consensum inducit: non abs re colligitur 27. Deum esse veracissimum *. At quoniam veracitas efficit, ut ea promittantur, quae servari volunt; Dei vero immutabilitas (§. 467.) exigit, ut quod semel voluit semper velit, adeoque ut sua promissa serventur; id autem est, quod FIDELITAS *in servandis promissis* appellatur: sequitur 28. Deum esse in servandis promissis fidelissimum.

* Veracitas in Deo fallendi, aliosque decipiendi impotentiam infert, ita ut quaecumque a Deo dicuntur vera sint: nam veracitas infinitae scientiae coniuncta infinitam intellectus, voluntatisque Divinae perfectionem sequitur, ac mentem nostram Dei verbo ita reddit adquiescentem, ut ipsi adsensum absque ulla prorsus suspicione praebeamus.

483. Quoniam vero beatitudo, sive felicitas in summi boni possessione consistit (§. 303.); Deus autem, utpote summum bonum (§. 480.), semetipsum plene, et omnino possidet, et in se plenissime cognoscendo, suasque perfectiones intuendo non potest non infinito gaudio perfundi, se-

seque infinito amore prosequi; consequens est 29. ut Deus sit felicissimus, et beatissimus. Quamque sit etiam independens (§. 467.), omnesque simul possibiles perfectiones actu possideat (§. 471.): sequitur 30. ut nihil ipsi desit, nec deesse possit, nec sit qui aliquid ei praestare queat; adeoque 31. Deus ipse sibi sit sufficientissimus.

* Hinc ergo est, ut Deus etiam ante mundi creationem, aliorumque entium exsistentiam in se fuerit beatissimus, nec quidquam ei ad perfectam defuerit felicitatem: ut ita non suo, sed alieno bono entia illa creaverit.

484. SANCTITAS generatim appellatur *quaevis immunitas*. Si vero ad Deum referatur, est *immunitas absoluta*, vel *exclusio omnium imperfectionum*. Quoniam igitur Deus est absolute perfectissimus (§. 459.); omnesque perfectiones absolutas nullisque defectibus admixtas (§. 76. *seqq.*) intensissime, et absque ullo gradu possidet (§. 471.): patet 32. nullam in eo reperiri posse imperfectionem (§. 77.); ac proinde 33. Deum esse sanctissimum.

485. Denique quum Deus sit actus purissimus (§. 472. *), omniaque eius attributa actus sint, non facultates (§. *eod.*), ita ut quodlibet illorum sit ipse Deus (§. 457.): recte colligitur 34. Deum iure meritoque optimo attributorum suorum nomine appellari, et esse sapientiam, ve-

tatem, bonitatem, misericordiam, iustitiam, sanctitatemque infinitam *.

* Idem intellige de omnibus aliis Dei attributis. Et quia Deus est bonus per essentiam (§. 480.), recte dicitur veritas, bonitas, sanctitas per essentiam etc., vel veritas ipsa, sanctitas ipsa etc., vel denique κατ' ἐξοχὴν bonus, sanctus, omnipotens etc.

CAPVT TERTIVM

De operibus divinis.

486. QVandoquidem Deus, utpote felicissimus, sibique sufficientissimus (§. 483.), nullo entis alicuius auxilio indiget (§. *eod.*), sed ob suam independentiam (§. 467.), etiamsi nullum aliud ens exsisteret, idem semper, ac perfectissimus esset: quaecumque opera extra se produxit, non sui perficiendi, nec boni ullius adquirendi caussa produxit. Et licet in mundo ex nihilo ad exsistentiam perducendo gloriam suam externam, sive infinitarum perfectionum suarum manifestationem, tamquam finem, intenderit (§. 185.): hcc tamen bonum non suam, sed aliorum entium utilitatem respexit *, ut quae nihil essent, exsistentiam acciperent, omnesque realitates, quas ipsorum natura pateretur, participando, Creatorisque sui gloriam admirando, felicitatis eius partem acciperent. Ea porro iugiter con-

conservat, ac regit, ut ita in eorum regimine, ceterisque cum eo connexis divinae perfectiones magis magisque patefiant. Ea de re de Dei operationibus praesenti capite quaedam tracere decrevimus, quas distinctis sectionibus breviter persequemur.

* Idque sapienter expressit Doctor Angelicus 2. 2. *quaest.* 132. *art.* 1. *ad* 1.: *Deus*, ait, *gloriam suam non quaerit propter se, sed propter nos*. Eius vero propositionis rationem reddit pulcherrimam S. Augustinus, dicens: *Nobis namque expedit Deum nosse, non illi*. *Tract.* 58. *in Ioan.*

SECTIO I.

De creatione, conservatione, & concursu.

487. MVndus exsistit (§. 136.), omniaque entia in illo systemate (§. 150.) sunt creata (§. 165.), sive ex nihilo producta (§. 115.) ab ente necessario (§. 165.), nempe Deo (§. 458.). Exsistentiam ergo suam non ab aeterno, sed in tempore, & aliquando acceperunt (§. 176); & antequam exsisterent nihil erant, & in statu purae possibilitatis constituta (§. 52. *). Pura vero possibilitas non est, nisi contradictionis absentia (§. 48.), adeoque nihil reale, quod enti creatori materiam; unde ad exsistentiam perducatur, praebere possit. Ens itaque

que creans eiusmodi potentia praeditus esse debet, qua omnibus possibilibus nulla praexsistente materia exsistentiam dare possit, nempe potentia infinita * ; ac proinde Deus pollet potentia infinita.

* Vides hinc, potentiam creatricem esse infinitam, soli enti infinito competere, et esse incommunicabilem: nam ens infinitum est unicum (§. 133.), omniaque entia, praeter Deum sunt finita (§. 87.); ens autem finitum infinitae potentiae incapax est: nullum ergo ens creatum sibi, vel aliis exsistentiam largiri, vel continuare valet.

488. OMNIPOTENTIA est *infinita potentia omnibus possibilibus exsistentiam largiendi*. Quum igitur Deus mundum ex nihilo produxerit (§. 487.), sitque ens infinitum (§. 467.): 1. potentia creatrice, sive infinita, nempe omnipotentia praeditus esse debet; adeoque 2. Deus est omnipotens, & creator omnium rerum, quae in mundo sunt.

489. Quoniam autem quae ex nihilo producuntur, sive creantur, nihil ante creationem habent, in quo Creator actionem suam exercere physice possit; Deus autem, utpote simplicissimus (§. 468.), spiritusque purissimus (§. 471.), omnes possibiles actiones solo intellectu perfectissimo liberrimaque voluntate peragit (§. *eod. sequ.*): nullo alio modo entia creare potest, quam solo, & simplicissi-
mo

mo intellectus, ac voluntatis actu: intellectu quidem in formandis eorum archetypis; voluntate vero in exsistentia iis largienda. Intellectus porro divinus aeternum actu omnia possibilia sibi distinctissime, & adaequatissime repraesentat (§. 471.), adeoque ab aeterno omnium possibilium archetypa in mente divina exsistere: consequens ergo est 3. ut Deus in tempore solo, ac simplicissimo suae voluntatis actu mundum creaverit; adeoque 4. CREATIO nihil aliud sit, quam *divinae voluntatis actus, ut entia pure possibilia exsistant*.

* Hinc *in Genesi cap.* 1. creationis actus vocabulo FIAT exprimitur: hoc enim non modo Dei omnipotentiam, sed et simplicissimum illum divinae voluntatis actum indicat, captuique nostro conceptum illum adcommodat.

490. In mundi vero creatione Deus quamdam veluti gradationem inter omnia entia creata constituit, quam SCALAM ENTIUM commode appellare possumus, ut a fossilibus ad vegetabilia, ab his ad animalia rationis expertia, & a brutis ad rationalia gradus fieret *: ut ita entia intelligentia ab his veluti gradibus a contemplandam Creatoris sui gloriam ascenderent, utque summum bonum (§. 480.), omniumque bonorum largitorem (§. 479.) libere amarent, ad quem, tamquam felicitatis fontem (§. 480. *), ipso naturae impulsu intensissime rapiuntur (§. 294.).

* Idque sola rerum creatarum contemplatione cognoscitur: qua de re consulendus Buffon *in Historia naturali*, et Bonnet *in Contemplatione naturae*, qui de hac entium scala eruditissime scribunt.

491. Quemadmodum autem mundus simplici divinae voluntatis nutu ex nihilo creatus est (§. 489): ita viribus ad se conservandum idoneis destitutus (§. 487. *) in nihilum rediret, nisi eiusdem volutatis actus accederet, ut suam exsistentiam continuet. Haec autem divinae voluntatis actio dicitur CONSERVATIO; 5. mundus igitur conservatione indiget. At quia exsistentiam continuat (*per exper.*), 6. Deus ergo eum conservat. Conservatio vero isthaec est continuatio illius volitionis, qua Deus voluit, ut a possibilitate ad exsistentiam transiret (§. 489.): 7. conservatio itaque est continuata creatio *.

* Advertas tamen, Deum realitates omnes in mundanis entibus conservare, non etiam defectus, quia quum in realitatum absentia consistant (§. 49.), nulla positiva actione divina opus habent, quia in non-exsistentia consistunt, quum tamen Deus actione sua exsistentiam largiatur. Quaecumque ergo privationes, defectus, negationes, ac limitationes in entibus creatis a Deo creatae non sunt, adeoque nec conservantur. Status enim rei creatae naturalis est non esse; positiva ergo Dei actio efficit, ut sit, et esse continuet; quod si haec desit, in nihilum mundus abibit. Hinc annihilatio non est actio positiva, ut Genuensis noster, aliique putant, sed volitionis divinae cessatio. Vid. Cartes. *Tom. II. ep. 16. n. 7.*

492. Quia porro in creatione Deus non modo exsistentiam, sed & naturam (§. 157.) mundanis entibus concessit (§. *eod.*), hoc est viribus (§. 196.) ea instruxit, quibus omnes actiones, ad quas destinata sunt, ederent: nisi Deus vires illas conservaret, natura rerum in nihilum abiret (§. 491.), nec ulla actio in mundo fieret. Deus ergo non modo mundana entia, sed eorum quoque naturam singulis momentis conservat; ac proinde 9. in eo rationem aliquam continet actionum, quae ab entibus creatis eduntur.

493. Quicumque agendo rationem aliquam continet, cur alter agat, is ad alterius actionem CONCVRRERE dicitur: CONCVRSVS itaque divinus est *Dei actio, qua vires, & quasi vires in entibus creatis conservat* (§. 492.): estque vel IMMEDIATVS, sive POSITIVVS, si Deus ad exsistentiam effectus perinde, ac caussae concurrat; vel MEDIATVS, sive PERMISSIVVS; si caussae exsistentiam viresque conservet, ut haec effectum quemcumque libere producat. Rursus est vel GENERALIS, & PHYSICVS, si ad omnes caussarum secundarum actiones porrigatur; vel SPECIALIS, & MORALIS, si ad aliquas tantummodo quarumdam caussarum actiones pertineat.

494. Quoniam itaque caussae creatae sunt

sunt secundae (§. 32.), quae vim a caussa prima (§. 26.**), nempe Deo (492), acceperunt : ipsae agere nequeunt , nisi Deus vires activas in his conservet (§. 492.) , nec ullae caussae valent sibi vires suas aeque ac exsistentiam conservare (§. 487.*), quia in eo sunt indifferentes , & ob contingentiam passive a Deo dependent (§. *eod.*). Haec autem virium conservatio ad omnes caussas creatas se extendens dicitur concursus (§. 493.): consequens est 10. ut Deus ad omnes caussarum creatarum actiones generaliter concurrat ; 11. speciatim autem immediate , & positive ad actiones bonas * , 12. mediate vero, & permissive ad actiones malas ** .

* Actiones enim bonae ad hominis perfectionem tendunt , adeoque legibus moralibus praeceptae sunt . Deus ergo, quia actiones illas vult , non modo vires activas in agente conservat , sed et praecipiendo , propositisque praemiis alliciendo, et hortando , et subsidia suppeditando speciatim ad actiones illas concurrit, ita ut earum dici possit caussa moralis (§. 26 *not.* 3.) ; adeoque concursus ille immediatus etiam dicendus est , quia non modo ad caussae , sed et ad effectus exsistentiam concurrit .

** Nimirum actiones malas Deus non vult , easque ideo legibus moralibus vetuit . Sed quia agentibus liberis eligendi , agendique pro lubitu facultatem dedit, quam si auferret , eorum simul essentiam destrueret : Deus vires activas in eis conservat , simulque leges , praemia , poenasque proponit , ut facultate illa bene utantur . Si ergo agens liberum libertate abutatur , actionesque ma-

las aggrediatur: Deus illas permittit, ad easque mediate concurrit, nempe vires activas in agente conservat, ut effectum quemcumque libere producat; nec actiones malas impedit, quum alioquin impedire posset, vires activas illis adimendo. Deus itaque mediate, ac permissive concurrit ad actiones malas.

SECTIO II.

De Dei regimine, sive Theocratia naturali.

495. GVBERNATIO, sive REGIMEN, est *mediorum, actionumque directio ad finem:* & qui media, et actiones ad finem dirigit, RECTOR, vel GVBERNATOR dicitur *.

* Idque usui loquendi est maxime adcommodatum. Navis enim gubernator ille est, qui navim ipsam, omnesque nautarum actiones ad finem sibi propositum dirigit; Reipublicae rector, qui omnes civium actiones, omniaque media ad finem suum, nempe societatis securitatem, tranquillitatem, ac conservationem dirigit.

496. Quia ergo Deus omnia entia mundana creavit (§. 489), ut gloriam suam manifestaret (§. 185.), atque entia rationalia felicitate donaret (§. 486.), & ut media ad finem illum optimum ducentia optime elegit (§. 190.), ea conservat (§. 491.), ac ad actiones eorum concurrit (§. 464.); haec autem est mediorum, actionumque ad finem optima directio

ctio *: consequens est, ut Deus omnia gubernet; adeoque omnium rerum, nempe mundi iure dicatur gubernator, ac rector.

* Quonam autem modo, inquies, mala moralia, quae Creatoris fini opponuntur, Deus ad finem suum dirigere potest? Respondemus: ea, licet imperfectionem agentium, sive individuorum producant, ad perfectionem tamen totius, nempe ad finem communem, a Deo diriguntur. Ex his enim Deus gloriam suam quotidie eruit, sive quia malorum hominum actiones in aliis hominibus mala puniunt, sive quia piorum animas in patientia, ceterisque virtutibus exercent, sive etiam quia in his malis ferendis, vel puniendis, vel denique remittendis, Divinae perfectiones elucent; adeoque ad optimum finem a Deo diriguntur.

497. Vt autem doctrinae huius veritas clarius agnoscatur, optimique Dei optimum, & sapientissimum regimen percipiatur: experientiam, rationemque consulere, ac de modo huius regiminis pauca dicere non pigeat. Et primo quidem, integrum mundi systema variis entium constat speciebus in continua quasi progressione dispositis (§. 490.), in quarum singulis peculiaris quaedam veluti scala observatur *: earum vero specierum quatuor praecipue classes assignari possunt; quarum una entia inorganica, & inanimata; altera organica, & inanimata; tertia organica, & animata; postrema organica, animata, & rationalia complectitur. **

* Vid.

* Vid. Bonnet in laudato opere *La Contemplation de la Nature*, ibique notae, quas clarissimus Naturalista Spallanzani summa eruditione subiecit, ubi universam entium; specialem autem peculiarium eorum classium scalam diligenter expositam observare licet.

** Ad primam classem referuntur fossilia, in quibus materia bruta variis modis coacervata, et sola cohaesione coalescens observatur; ad alteram vegetabilia, quae nihil sunt, nisi materia organis instructa, nempe fibrarum varie coagmentatarum aggregata, per quas succus nutritius a Tellure proveniens, et a calore motus ad alendas omnes plantarum partes undequaque pergit; ad tertiam animalia bruta, quae materiam diverse modificatam, et in machinam redactam principio quodam vitali, et activo animata exhibent; ad ultimam homines, in quibus materia affabre structa, innumeris, ac perfectioribus organis instructa, spirituque informata videtur, ita ut vi principii illius intelligentis, et rationalis actiones suas libere, et praevia electione peragant.

498. Ex his porro entium classibus quaedam nusquam, nisi externa caussa determinata vicissim agunt, & patiuntur *; quaedam interno veluti instinctu, ac vehementi naturae ipsius impetu ad agendum, vel non agendum determinantur; quaedam demum supremo eligendi arbitrio pollentia libere, nulloque nec extrinsecus, nec intrinsecus cogente, ad volendum vel nolendum, agendum vel non agendum se determinant **. Et ista quidem nullis; illa tantum confusis; haec distinctis quoque, & adaequatis gaudent perceptionibus.

* In hunc censum referuntur duae priores clas-

classes: nam quum materiam contineant, vel brutam, vel organicam, inertem tamen et inactivam (§. 161.), nulla propria virtute, vel principio sibi insito, sed solo caussae exterioris impulsu motus suos, mutationes, et actiones peragere possunt. Non est ergo quod Diderot *dans l interpretation de la nature* dubitet, utrum in inorganicis mortua, in organicis autem viva materia dari possit, nec ne? Etenim si organica structura non est, nisi diversa partium assimilatio, et combinatio, nempe purum accidens (§. 102.), quotcumque organis instruatur, iners semper maneat oportet; adeoque vitam, nisi a principio quodam vivificante, accipere nequit. Nec est, quod alii vim vegetativam plantis inesse dicant: nam vegetatio illa ab externa caussa omnino pendet, adeoque vita impropric tantum dici potest. In plantis enim naturae Auctor admirabilem fibrarum, organorumque texturam efformavit, per quae humor transire, et in quibus succus nutriens ingressus locum occupare posset. Hic autem succus non est, nisi fluidum a Tellure proveniens solis radiis, et calore motum, et a poris radicum bibulis lege adfinitatis absorptum; ac proinde vides, vegetationem nulla vi plantis insita, sed extrinsecus omnino proveniente perfici: unde materia, utut organis instructa, in una generica entium materialium classe reponi debet, quae quoniam bruta est, nullas umquam habere poterit perceptiones (§. 384. *seqq.*).

** Posteriorum autem harum serierum, illi bruta, huic homines accenseri, quisque intelligit: quorum naturam quam in Psychologia investigaverimus, non est, quod hic diutius immoremur.

499. Pro entium vero diversitate tres ordines Deus in mundo constituit, ex quorum unione, ac connexione universalis mundi, sive naturae ordo (§. 204.), qui

&

& ORDO COSMICVS recte dici potest, componitur. Et quidem inter entia pure passiva, et inanimata, quae vel coalescentia, vel vegetatione partes suas in systemate obire debebant, ordinem PHYSICVM; inter entia organica & animata METAPHYSICVM; inter rationalia tandem, & libera MORALEM posuit, ut dum reliqua entia interna, vel externa necessitate motus suos, mutationes, et actiones peragentia gloriam Creatoris illustrant, & ostendunt, libera quoque facultatibus suis recte utentia actiones suas ad eumdem finem dirigerent, divinasque perfectiones patefacerent, prout ordo cosmicus, eiusque regula, nempe Creatoris finis (§. 185.), exigebant *.

* Ordo namque est delectus, et dispositio rerum ad aliquem finem directa (§. 71.). Ordo itaque cosmicus, sive mundanus universalis, in entium creatorum dispositione, et delectu, eorumque ad Creatoris finem, eius nempe gloriae manifestationem (§. 185.), directione situs est. Illi autem peculiares ordines, licet speciales fines, sive regulas (§. 71.) singuli habeant; omnes autem in uno ordine generali continentur, eique subordinantur: ut ita regulae illae peculiares, veluti media habendae sint ad consequendum ultimum Dei finem, in quo regula generalis posita est, subordinata.

500. Quoniam autem ordo quisque principium determinans, sive regulam habere debet (§. 72.); adeoque sine normis, ac legibus subsistere nequit (§. 207.): evidens

dens est, ut Deus ordinem naturalem naturalibus legibus muniverit, & quidem universalem universalibus, peculiares vero peculiaribus; inter hos autem physicum physicis * (§. *eod.* 208.), metaphysicum metaphysicis **, moralem moralibus legibus confirmavit: quarum istae omnes effectus in mundo corporeo contingentes; illae omnia phaenomena in entibus organicis & animatis; hae omnes entium rationalium actiones liberas determinarent, et ad finem dirigerent.

* Has leges, quibus ordo physicus constat, generatim in Cosmologia attigimus; speciatim vero Physica in tota sui extensione tradit: uti sunt leges motus, aliaeque, quibus omnium corporum, tam coelestium, quam terrestrium motus absolvuntur.

** Dici quoque solent leges commercii: quae intimam arctissimamque unionem inter corpora organica, animasque intercedentem constanter conservant, quae quidem soli Creatori notae ab hominibus per effectus tantum agnoscuntur, et per hypotheses imperfecte explicantur (§. 423. *seqq.*).

501. LEGES ergo MORALES sunt *normae actionum liberarum, secundum quas determinandae sunt, ut ad praestitutum a Creatore finem cum aliis reliquorum entium actionibus uniformiter tendant* *. Qui vero normas illas ferendi potestatem habet, LEGISLATOR audit.

* Et has quidem in Iure naturae explicaturi su-

sumus, et a fontibus genuinis derivaturi, ut integrum rationalium systema ad officiorum suorum exsequutionem adducatur.

502. Quemadmodum enim, ut corpora naturalia in se mutuo agerent, coalescerent, vegetarent, vel ut ab entibus immaterialibus moverentur, quia in eo naturalis, ac necessarius nexus intercedebat, nullo alio modo fieri poterat, quam solo divinae voluntatis arbitrio, quod per leges physicas, & metaphysicas exsequutionem accipiebat: ita ad regendum systema entium rationalium, et liberorum, quod nulli necessitati subiici poterat, nisi ablato maximo eorum attributo, scilicet libertate, diversa quidem ratio excogitari debebat, quo entia illa ad conformem cum aliis tendentiam ad communem finem inclinarentur.

503. Nimirum entia rationalia, utpote intellectu, & volunte praedita (§. 481. *Schol.*), ac proinde spiritualia (§. 395.), nec impelli, nec urgeri, sed allici, ac suaderi possunt (§. 295.), propositis iis, quae naturalem eorum inclinationem ad se trahunt, vel a quibus naturaliter abhorrent. Deus ergo vehementissimum hominibus impetum erga summum bonum inspiravit (§. 303.), cuius possessio eorum felicitatem absolveret (§. 302.), ut in eo agnoscendo, contemplando, & amando omnes suas exercerent facultates *, ac de-

demum animae corporeis exsolutae vinculis easdem operationes continuarent eo perfectiores, quo distinctius et intensius puri spiritus agere possunt: et quia divinae bonitati gratum praebuerunt animum, nec ullam habent malorum operum accusationem, in summi illius boni possessionem immissae exsatiarentur, votique compotes in eo requiescerent. In eo vero Deus bonitatem suam exercuit, & manifestavit.

* Et quidem *sensum* in percipiendis tot innumeris corporibus, quibus Deus integrum systema miris modis exornavit, eorumque mutationibus, motibus, et actionibus, quibus Divina sapientia, omnipotentia, et providentia quotidie manifestantur; *phantasiam* in ideis antea perceptis reproducendis, et adsociandis; *memoriam* in recogitandis beneficiis a Divina bonitate acceptis; *attentionem* in claris; *reflexionem* in distinctis ideis efformandis, percipiendisque perfectionibus a suprema Dei beneficentia creatis entibus concessis; *intellectum* in vero illo, summoque bono agnoscendo, et a bonis transeuntibus, ac fallacibus optime discernendo; *rationem* in veritatum nexibus percipiendis, Divinis perfectionibus ex rerum creatarum contemplatione eruendis, propriisque officiis optime pernoscendis; *voluntatem* in amando summo bono distincte iam agnito, eique bona transitoria postponendo; *libertatem* tandem in propriis officiis satisfaciendis, in affectibus rationis imperio subiiciendis, summique boni possessione merenda.

504. At quia in rebus creatis infinitesima quaedam divinarum perfectionum participatio invenitur; haec autem, utpote

te sensibus obvia, vividius, clariusque animam afficere (§. 259.) huiusmodi motiva fortiora reddere, eamque ad entia creata adducere, à summo vero bono, quod intelligibile tantum est, abducere poterat, nec ad id ulla necessitas, aut coactio valebat (§. 379.); unde homo libertate abutens actiones bonas omittere, malas autem committere potis erat: normas quasdam, sive leges morales (§. 501.) ei proposuit, iuxta quam actiones suas determinare deberet, quippe quae eum libertate recte utentem, finique suo convenienter agentem redderent: ut ita omni confusione, vel obscuritate ablata, ad veram, ac perpetuam summi boni possessionem tuto contenderet *.

* Haec autem legum pars illa est, quae IVSSIO, IVSSVM, vel DECRETVM appellatur, qua actiones bonae praecipiuntur, malae contra prohibentur.

505. Leges vero illae contra motiva sensibilia (§. 504.) parum roboris, adeoque exsequutionis haberent, nisi alia adhuc motiva cum illis collidentia proposita essent. Legibus ergo SANCTIONES adiectae sunt praemia, sive bona, & poenas, sive mala, proponentes, quibus homo ad servandas leges alliceretur, & a patrando malo absterreretur *. Huiusmodi vero sanctio ab ipsomet ordine cosmico derivata fuit. Quemadmodum enim qui media ad con-

consequendum finem apta adhibuit, illum obtinere debet; qui vero ea neglexit, fine suo frustrari: ita qui leges servavit, summo bono potiri; qui contra violavit, eodem privari debet **; & qui facultatibus suis recte usus est, in iisdem praemium accipiat; qui autem earum fecit abusum, ut poenam in iis sustineat, iustitia exigit ***.

* En aliam legum partem, nempe *sanctionem*, sine qua nullam exsequutionem habentes, non leges, sed consilia dicenda forent, qua sanctio obligationem inducit poenarum et praemiorum propositione, quae motiva sunt voluntatem ad servandas leges allicientia, ut fusius in Iure Naturae dicemus.

** Insunt praeterea poenae et praemia naturalia, nempe bona, vel mala physica ex iisdem bonis malisque actionibus legitime procedentia: summi namque boni consequutio, vel amissio, quia a libera Legislatoris voluntate pendet, positiva potius dicenda sunt, quamvis ab ordinis cosmici consideratione immediate fluant.

*** Huiusmodi vero praemium, poenamque, ut imbecillitati nostrae consulamus, hoc modo concipere possumus. Homo vehementissimo naturae ipsius impetu summum bonum adpetit (§. 303.): leges observans in illud libere fertur, ac veluti ab eo trahi se sinit. Completo igitur hoc vitae curriculo, solutoque corpore, a quo anima impediebatur, quo minus summum illud bonum distinctissime agnosceret, ac intentissime amaret, agentibus in se viribus omnibus, ad infinitum illud bonum omnimode trahitur, in eoque prorsus immergitur, omnes voti sui compos factus gustans delicias. Leges contra violans summum bonum trans-

transeuntibus, fallacibusque postponit, et ab illo recedit contra propriae naturae impetum agens. Vi ergo naturali attractiva ducitur erga summum bonum; repulsiva vero ab eodem abducitur, et ad transitoria bona avocatur, in quibus, omnium actionum suarum finem libere constituit. Post mortem igitur anima in perfectissimo facultatum suarum exercitio manens, impetum illum erga summum bonum non amittit, quippe qui distinctam cognitionem necessario sequitur, sed in se intensissime auctum sentit; eo vero ab ordine privatur, unde in infinita distantia ab eo constituitur. Vides ergo illas in se post mortem experiri debet excessiva adauctas, quas vivens sensit: adeoque a duabus viribus centripeta, et centrifuga, si ita loqui fas est, hominis anima ducta continuam circa summum bonum curvam describat, oportet, in infinita a centro distantia. Hinc vacuum infinitum in se observans, quales cruciatus patiatur, quisque communi sensu praeditus, modo id concipere possit, perpendat.

506. Ordo porro cosmicus ab optimo Deo libere constitutus, utpote contingens, mutationibus est obnoxius; & quidem physicus, quia a corporum natura, proprietatibus, & adfectionibus invicem connexis oritur, quae Deum habent auctorem (§. 197.), ab ipso Deo suspendi, turbari, ac interrumpi; metaphysicus, quia ab intima animarum corporumque organicorum unione, ac dependentia pendet, turbato mechanismo etiam a caussis secundis impediri; moralis vero, quia in entium rationalium liberis actionibus consistit, solo libertatis abusu ab iis perturbari potest: omnes autem non aliter restitui, ac remit-

ti possunt, nisi res in pristinum statum redactae fuerint, ita ut factum habeatur tamquam infectum. Ex quo patet, omnes ordines in mundo obvios a solo Deo in pristinum statum redigi, atque restitui posse: homo namque, ut factum sit infeinfectum, efficere nequit.

507. Quoniam igitur legum sanctio ab ordine venit (§. 505.): hic vero perturbatur, si leges morales violentur (§. 506.), quo casu poena ab ordine ipso imposita subeunda est (§. 505.); intactus autem manet si leges illae serventur (§. 500.), unde tunc praemium est exspectandum (§. 505.): quamdiu durat ordinis harmonia, vel perturbatio, tamdiu praemium, vel poena durare debet. Sed quia ordinis duratio Auctoris sui entiumque rationalium in eo ingredientium durationem sequitur, ac proinde est aeternus (§. 468.): aeternum etiam ex parte hominis erit ordinis aequilibrium, vel disquilibrium; adeoque aeterna pariter praemium, vel poena sint oportet.

* Dicant ergo nunc impudentissimi aetatis nostrae scioli, aeternas damnatorum poenas humanae rationi esse contrarias, et ut vana Theologorum terricula menta haberi debere.

508. Et quia Deus mundum legibus, tam physicis, & metaphysicis (§. 500), quam moralibus regit (§. 501.): adparet

ret hinc, Deum esse supremum mundi Dominum, ac Legislatorem (§. eod.); adeoque universum systema entium creatorum optime rectum iure dici naturalem DEI PRINCIPATVM, sive THEOCRATIAM.

* Naturalis quidem, quia mundus natura sua Deo subiectus est, utpote ab eo creatus, conservatus, omnibusque momentis legibus optimis sapientissime gubernatus. Ab hac ergo subiectione nullum ens in systemate exsistens liberari potest, sed supremum Dei super omnia dominium, et imperium agnoscere debet. Quumque id solo rationis lumine perspiciatur: patet, eum, qui omnia haec inficiatur, nullum habere rationis usum.

SECTIO III.

De Providentia.

509. Quicumque curam rei alicuius habet, is eidem *providere* dicitur *. PROVIDENTIA igitur, ut Dei attributum considerata, est *Dei cura de rebus creatis*; estque vel GENERALIS, si omnia generatim mundi entia aeque respiciat; vel SPECIALIS, si ad aliqua creatarum rerum genera vel species singulari modo extendatur.

* E. g. Pater filiorum quos procreavit, curam gerit, hoc est, eorum conservationem promovet, eos regit, monitis, consiliis, praeceptis

eorum actiones dirigit, ad easque concurrit. Hoc modo iis consulit, nempe providet. Vides ergo, ad providentiam requiri 1. *creationem*, qua rei provisae exsistentia data fuit, 2. *conservationem*, qua efficitur, ne pereat, 3. *concursum*, quo omnes eius actiones, motus, mutationes diriguntur, 4. *regimen*, quo res illa sapienter gubernatur.

510. Quum itaque Deus omnia mundana entia creaverit (§. 488.), conservet (§. 491.), ad eorum actiones concurrat (§. 404.), eaque regat (§. 496. *seqq.*); his autem characteribus cura, adeoque & providentia absolvatur (§. 509.*): consequens est 1. ut Deus omnium mundanarum rerum, tam generalem, quam specialem curam habeat; adeoque 2. providentia sua mundum administret. Et quia infiniti entis attributa sunt infinite infinita (§. 129.): sequitur 3. ut Deus sit providentissimus*.

* Ordo igitur cosmicus (§. 499.), quo Deus omnia regit (§. *eod. seqq.*), recte ORDO PROVIDENTIAE appellatur. At quoniam de Providentia absurde senserunt plurimi Sophistae, non modo ex veteribus, sed ex recentioribus: ideo eorum sententias expendere, operae pretium est. Et primo quidem eorum, qui omnia fato quodam regi autumant, opiniones evolvemus.

511. FATVM, a *fando* dictum, est *necessitas quaedam absoluta omnem tollens contingentiam, & libertatem*. Id vero est PAGANORVM, si omnes eventus, tam necessarii, quam liberi, divina humana-

ve

ve opera producti decreto cuidam supremo in omnia influenti, ipsique Divinitati imponenti tribuantur *; MVHAMEDANVM, si eventum necessitas admittatur, nulla habita ratione ad caussas, & media **; STOICVM, si caussarum, & mediorum concatenatio adesse dicatur, quae semel a Deo statuta nullo pacto immutari queat; nec amplius ullam Deus ipse, nec hominum liberae actiones in effectibus partem habent ***; DEMOCRITICVM, si omnia ex necessitate materiae necessario exstitura ponantur ****; ASTRONOMICVM, sive GENETLIACVM, si omnes effectus in mundo ab immutabili siderum, coelique potentia, & actione deriventur †; denique PANTHEISTICVM, si absolutam omnium rerum necessitatem a divinae substantiae necessitate promanantem poni debere adfirmetur ††. Cuiuslibet tandem fati adsertor FATALISTA dicitur.

* Idque vel ex omnium Poetarum, scriptorumque Paganorum libris evidenter colligitur. Scilicet Pagani Fatum esse aiebant supremam quamdam Divinitatem potentissimam, et immutabilem, quae quidquid semel decrevisset absolutae cuidam necessitati subiiceret, a qua nec ipsi Dii forent immunes. Vnde Deos omnes, ipsumque Iovem fato subiectos esse arbitrabantur, et quidquid in impenetrabilibus huius libris semel scriptum esset, immutabili necessitate eventurum credebant. Hinc Minerva apud Homerum *Iliad.* χ. v. 178. Iovem alloquens ait:

Ω' πατερ αργικεραυνε κελαινεφις οκον εειπες
Α'νδρα θνητς εοντα, παλαι πεπρωμενον αιση,

Α'ψ εθελεις θανατοιο δυσηχεος εξαναλυσαι.
O pater rutili fulminis missor, atras nubes cogens, quale dixisti.
Virum mortalem, iam olim destinatum fato,
Iam vis a morte tristi liberare?.
Eodem modo Iuno apud Virg. *Aen. I. v.* 41.
.... *Mene incoepto desistere victam,*
Nec posse Italia Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis ....

Fatum porto *ineluctabile* vocat alibi Virgilius *Aen. VIII. v.* 334., idem *inevitabile* appellat Euripides *in Iove*, et Aeschylus *in Prometheo*: tandem Herodotus *in Clio* fati necessitatem, scripsit, non modo hominibus, sed et Deo ipsi impositam; την πεπρωμενην μοιρην αδυνατα σει αποφυλεειν και θεω: *ipsum autem fatum devitare nec Deus quidem ullo pacto potest*. Fatum hocce fatuum ex parte Muhamedani, ex parte vero Stoici usurpaverunt.

** Turcas quidem, ferunt, quum aliquis aut telo confossus, aut in fluvium deiectus diem obiit supremum, dicere solitos: *eius hora advenerat*: nempe eum non mortuum, quia telo aliove medio vitam amiserit, sed quia fati necessitas eumdem ad mortem vel invitum duxerit. Hinc eos intrepido vultu bella peragere, flumina tranare, omniaque adire pericula, tradunt historiae.

*** Ad efformandam Fati Storici notionem, facem praebebunt Seneca, et Tullius. Ille namque de providentia loquens: *Eadem*, inquit, *necessitas & Deum alligat; irrevocabilis divina pariter, & humana cursus vehit. Ille ipse omnium Conditor, ac Rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel iussit. De Provid. cap.* 5. Hic autem: *Quod fore*, ait, *paratum est, id summum exsuperat Iovem. De divinat. Lib. II. cap.* 10. Fatum ergo Stoicorum caussas, et media non respuit; sed omnes hominum liberas actiones, adeoque meritum ac demeritum, praemium poenam.

namque tollit, atque omnia indispensabili cuidam necessitati subiicit; idque saeculo XV. ab inferis revocavit absurdissimus Haeresiarcha Calvinus, quum Dei praescientiam hominibus libertatem adimere pronuntiavit; quam ut adsereret Socinus Tullii vestigia sequens, Dei praescientiam audacter negavit, eique aptari potest quod de Cicerone ait Augustinus: *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*. De horum autem erroribus legantur Theologi, ad quos controversiae huius definitio pertinet. Id autem praetermittendum non est, mundi optimismum a Leibnitio adsertum (§. 194. *), ipsamque harmoniam praestabilitam (§. 431.) nihil, nisi Stoicorum fatum invehere, dum specioso rationis sufficientis principio Deum ad eligendum optimum necessitate quadam determinari; hominem vero ad edendas actiones suas ab immutabili quadam serie praestituta duci, si non aperto, at necessaria ac legitima consequutione inferendum, adfirmat.

**** Nimirum Democritus, uti ex fortuito concursu atomorum aeternarum, et improductarum omnia mundi entia orta fuisse adsumit (§. 166. **), ita ex rapidissimo earum motu necessitatem quandam invectam esse autumavit, quae ipsi est *fatum*, *iustitia*, & *providentia*; revera tamen resistentia, motus, et percussio materiae. Laert. *Lib. IX. segm.* 44. 45. Qua deceptrice *casus* idea (§. 155.), quemadmodum in Deum est iniurius, ita et omnem humanam tollit libertatem. Vide quae diximus in Cosmologia (§. 166.); ubi absurdum hocce systema fuso calamo refutavimus. Eamdem carpunt semitam Epicurus, Lucretius, eiusque Sectator Auctor *du Systeme de la Nature*, qui proinde homines appellant *imbecilles pusiones in manu necessitatis* (1): enim

(1) *Si nous consultons, là dessus, la nature, nous verrons que toutes les actions des hommes, ces foibles jovets dans la main de la nécessité, sont in-*

enim Naturae decretis, materiae nempe motibus, indispensabili necessitate subiectos esse adfirmat.

† De fati huius origine legendus est Cicero *De divinat. Lib. I. cap.* 1., qui eam hoc modo refert: *Principio*, ait, *Assyrii*, *ut ab ultimis auctoritatem repetam*, *propter planitiem magnitudinemque Regionum*, *quas colebant*, *quum Coelum ex omni parte patens*, *atque apertum intuerentur*, *traiectiones motusque siderum observaverunt*, *quibus notatis*, *quid cuique significaretur*, *memoriae prodiderunt*. *Qua in natione Chaldaei*, *non ex artis*, *sed ex gentis vocabulo nominati*, *diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse*, *ut praedici posset*, *quid cuique eventurum*, *& quo quisque fato natus esset*. Sententiam hanc, nempe omnes effectus in mundo ab immutabili siderum, coelique influxu pendere, etiam Platonicorum, Stoicorum nonnullos sequutos fuisse refert Cudvortus *System. intell. cap.* 1. §. 2., cuius adnotator Moshemius observat, antiquissimis temporibus creditum, daemones, sive deos inferiores sidera incolere, eorumque regere cursus, nec non res humanas Diis curae esse: qua de re Italos Pythagoram, velut unum ex istis, fuisse veneratos, Iamblychus memoriae prodidit *in vit. Pythag.*; unde concludit: *Iunge haec duo*; *Dii rebus humanis provident*, *& astra sedes sunt deorum*; *nec quaeres*, *ut arbitror*, *amplius*, *unde ad insanam hanc opinionem antiquissimae gentes delapsae sint*; *astrorum lege*, *ac virtute universa fieri*.

†† Quum

Indispensables, *& dependantes d' une cause qui les meut à leur insçu*, *malgré eux*, *& qui leur fait accomplir à chaque instant quelqu' un de ses decrets* . . . . . *L' homme* . . . . . *en se privant de la vie*, *il accomplit un arret de la Nature*, *qui veut qu' il n' existe plus*. *Cette Nature a travaillé*, *pendant des milliers d' années à former*, *dans le sein de la terre*, *le fer qui doit trancher ses jours*. Systeme de la Nature *Part.* I. *chap.* 14.

†† Quum enim Spinoza unam tantum in mundo adesse substantiam, ex fallaci illa substantiae definitione (§. 121. **) deduxerit, *Ethic. Part. I. prop.* 14. & 15.; inde in *prop.* 16. concludit: *Ex necessitate divinae naturae infinita infinitis modis, hoc est omnia, quae sub intellectum infinitum cadere possunt, sequi debent.* Sed quum definitionis illius falsitas patescat (§. *eod.*), ab alia refutatione merito abstinemus. Id unum tandem notasse sufficiet, absurdissimum hocce systema, quod *Pantheismum* vocari supra notavimus (§. 173.), Spinozae originem suam non debere, uti erudite ostendit Io. Franc. Buddeus *in Dissert. de Spinozismo ante Spinozam*, item *de Atheismo, & superstit. cap.* 1.; Sed potius Xenophani Eleatensium principi, cui in hac sententia perinde, ac in schola successere Parmenides, Melissus, et Zeno Eleates, nec non Pythagoraei, et Stoici, ut patet ex Seneca *Quaest. nat. Lib. III. cap.* 45., et ex verbis Catonis apud Lucanum *Declam. Lib. VIII.*

Iupiter est quodcumque vides, quocumq; moveris.
Spinoza tamen impium hoc systema in ordinem redegit, eique suppetias tulit Tolandus in libro inscripto *Pantheisticon*, editoque *ann.* 1710., quorum ille seipsum tot contradictionibus: hunc prae ceteris confutarunt Clarkius, et Moshemius.

512. Quum itaque Deus sit ens infinitum (§. 467.), quo nihil maius concipi potest (§. 129.), & ut talis, nullum superiorem agnoscat, sitque etiam infinite liberrimus (§. 476.), ac proinde nulli necessitati, aut decreto subiectus, sed omnium rerum dominus, supremusque moderator, ac rector (§. 496. 508.): sequitur 1. ut fatum paganum sit Divinitati iniurium, et fanaticum enthusiasmi productum.

513. Quoniam autem omnia in mundo sunt connexa per caussas efficientes, & finales (§. 150.), nec in natura quidquam per saltum fieri potest (§. 155.) : consequens est 2. ut fatum Muhamedanum sit fatuum nullaque ratione suffultum *.

* Quippe quod omnem in mundo nexum tollit, nullisque praecedentibus caussis effectum produci; nec ullis intercedentibus mediis finem obtineri; adeoque omnia esse sine ratione sufficiente, contendit. Unde absurdam, stupidamque hanc esse opinionem, ratio ipsa demonstrat (§. 22. 155.).

514. Quia vero Dei voluntas liberrima (§. 476.) hominem libertate pollentem (§. 379. *seqq.*); suopte huius arbitrio actiones suas edere, vel omittere sivit; fatum vero Stoicum Creatoris aeque, ac entium creatorum ratione praeditorum libertatem destruit (311. *not.* 4.) : evidens est 3. fatum Stoicorum esse *αδυνατον*, iniquum, Deo, & hominibus adprime iniurium *.

* Perspicua haec sunt, et a suis principiis legitime oriunda: unde nec diu hic immorabimur. Id tantummodo observandum volumus, Hobbesianum systema, utut sibi ubique contradictorium, maximeque impium, quum tamen de Deo loquitur, in Calvinismum, ideoque in stultum Stoicorum fatum ruere, quum potentiam in Deo irresistibilem, omnemque hominis libertatem auferentem admittit. Calvinus enim, ut diximus (§. 511. *not.* 3.), Dei praescientia humanam libertatem auferri, fatumque induci contendebat : id vero negandum esse, ibidem observavimus.

515.

515. Et quoniam fortuitus atomorum concursus idea est deceptrix, et chimaerica (§. 155. 166.); eumque admittere est contradictoria dicere *; recte infertur 4. fatum Democriticum esse impium, monstrumque ex phantastico oestro productum, quo nec absurdius, nec crassius excogitari potest.

* CASVS enim vox notat effectum sine caussa (§. 155.); effectus autem caussam supponit, cum qua est connexum (§. 35.): casum ergo admittere, est effectum caussa simul praeditum, et orbatum adserere, id quod est maxime contradictorium (§. 15.).

516. Rursus, quoniam in mundo cuncta sunt connexa (§. 150.); omnium vero eventuum a libera hominum volutate pendentium caussae non alibi, quam in eadem hominis libertate quaerendae sunt (§. 379. *seqq.*); astrorum contra, coelique influxum hac super re statuere idem est, ac relictis certis ad caussas incertas confugere: liquet 5. fatum Astrologicum esse fatuum, stultum, commentitium, ac decipiendae otiosorum hominum phantasiae tantum idoneum *.

* Vid. Cicer. *de Divinat. Lib. II. cap.* 43. *seqq.*

517. Denique, quia Spinozae principium (§. 121, **), universumque systema falsum est (§. 173.); consequutiones autem contradictoriae, quippe simplicitatem si-

mul, & compositionem, nempe extensionem in Deo admittentes (§. *eod.*), quae admodum contradictoria sunt (§. 15. 113.): infertur 6. fatum pantheisticum esse absurdum, & monstruosum, in quo, ut cum Horatio * loquamur, *nec pes, nec caput uni formae redduntur*.

* *De arte poet. v.* 8. *seqq.*

518. Quemadmodum autem Fatalistae nullam se Divinae providentiae notionem habere demonstrant (§. 511. *seqq.*): ita & Epicuraei eam a Divinitate auferentes, ipsam Divinitatis ideam corrumpunt, ac reapse tollunt *. Quum igitur Deus exsistat (§. 460. *seqq.*), omnia regat (§. 496. *seqq.*), eorumque curam gerat (§. 510.): consequens est 7. ut Deum facere improvidum, nihilque humana curantem, sit eum de medio tollere velle; adeoque 8. huiusmodi opinio absurda, impia, adprimeque stulta dicenda est.

* Epicurus enim, uti mundum *nullius ministerio factum* ponebat, ita *nec ullius ordinatione, & imperio regi*, aiebat, *qui omnem simul beatitudinem, & immortalitatem habeat*. Laert. *Lib. X. segm.* 76., eiusque opinionis rationem reddit: *Neque enim*, inquit, *beatitati conveniunt negotia, & curae, & irae, & gratiae, sed ob infirmitatem, ac timorem, & indigentiam proximorum ista fiunt*. Ibid. *segm.* 77. Eamdem carpit semitam Lucretius *Lib. I. v.* 57. ait enim:

Omnis per se divum natura necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur.

Sit

Semota ab nostris rebus, seiunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis.
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Nec ab eo discrepant quicumque Deum aut negant, aut prope sunt, ut denegent, ac prae ceteris Helvetius, dum vim a Deo materiae concessam, posteaque materiam ipsam sibi relictam fuisse, adserit. *De l' Esprit. Discours. III. chap.* 9. Sed huiusmodi opinioni litare, est rationi suae iniuriam facere. Hi namque aut nullam, aut imperfectam admodum Divinitatis ideam sibi efformant solo sensuum, et phantasiae ductu confictam, dum Deum hominis instar operando defatigari, otiando vero voluptate adfici, ac beatitudine frui contendunt. Contra vero, quum Deus sit actus purissimus (§. 472. **), omniaque eius attributa actus sint, non facultates (§. *eod.*), eumdem ens actuosissimum esse, nemo negabit. Otium ergo Deo repugnat eodem modo, quo enti activo inertia. Nec quaecumque Dei operatio laborem, aut sollicitudinem importat, ut in hominibus accidit. Quemadmodum enim omnia mundana entia solo, simplicique voluntatis actu creavit, conservat, ac regit; ita eodem purissimo nutu eorum omnium curam gerit. Nec obstat, quod Deus sit beatissimus, sibique sufficientissimus, id quod Lucretio maximi momenti videtur. Si namque mundum ex nihilo produxit non sui, sed nostri caussa: eadem benignitate, qua bonum nostrum creando promovit, idem conservando, regendo, curamque omnium habendo, quotidie promovet, atque in eo bonitatem suam continuo exercet. Subdit Lucretius, et post eum Auctor *du Systeme de la Nature Part. II. chap.* 3., ipsique Manichaei, quorum desperatam agit caussam Petrus Bayle *Dictionn. Hist. crit. art. Manichéens Rem. D.*, mala, quae in mundo passim observantur, indicare, vel hunc a Deo creatum non esse, vel Deum nullam rerum creatarum curam gerere. Primum quidem Lucretius adserit, dum ait:

Ne-

Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum : tanta stat praedita culpa. Lib. V. v. 199.

Quid autem de malis sentiendum sit, supra diximus (§. 479.) ; unde a longiori confutatione merito abstinemus . Id unum addere iuvat , Manichaeos , Epicuraeosque mundana entia extra seriem considerare , ac exilissimis , obscurisque notionibus Dei providentiam impetere . Vt id iure decernere possent , deberent omnes Dei fines adcurate scrutari , omnia Dei attributa distincte pernoscere , posteaque ostendere , mala in mundo obvia cum divina bonitate , et sapientia pugnare . Id vero quousque peragant , cum eodem Bayle fateri debebunt : *mala cum Divina sapientia non esse pugnantia , quia in mundo sunt ; ab actu ad potentiam valet consequentia. Répons. aux Provinc. chap.* 165. Si namque finitum entis infiniti fines , rationes , consilia percipere nequit (§. 131.) : quomodo argutationes istae serena fronte iactari possint , non videmus . Iure igitur illos arguit clarissimus Cardinalis de Polignac *in Anti-Lucret. Lib. IX. v.* 77.

Ait Auctorem operum tantorum , & cuncta regentem
Quo iure insimulas ? Tune illum vincere posse
Consilio speras , faber ipse peritior Orbis ,
A quo , nihil in te est , quod non acceperis ; imo
Quo sine , quae versas animo , versare nequires ?
Vtrum ego crediderim , bene se gessisse creantem ,
Omnia qui potuit ; melius ne creanda fuisse ,
Si tu vilis homo , qui nil potes , illa creasses ?
O ratio humanae mentis , quam caeca superbis !
Haec in mente Dei , si quondam carcere rupto
(Atque utinam) aspiceres , proh ! quam tibi iusta repente
Cuncta viderentur , quae nunc male cognita damnas !
Nonne vides incompositas aliquando figuras
Depingi plena in tabula ? nec forma , nec ordo est ,

Nec

Nec sibi respondent partes, temere omnis in arcum
Linea curvari, seriem nec habere putatur:
Laevis at in medio steterit cum forte cylindrus,
Tunc tersam in faciem confusos arte colores
Colligit, & vultus reddunt vaga monstra decoros.

Quod autem ad Lucretii discipulum attinet, respondemus, ea, quae contra Providentiam ipse accumulat, a semet aperto refutari, dum ait: *Oculum impartialem super genus humanum vertenti, maiorem bonorum, quam malorum numerum in eo inveniri; naturam maximo filiorum suorum numero non fuisse novercam: ipsum pauperem esse felicem* (1). Omnium ergo malorum caussa, ut tandem aliquando fatetur D. Rousseau, in homine, non Deo, quaerenda est; adeoque ad lunam frustra latrant Epicuraei.

519. Nec absimili modo a recto veri tramite aberrant DEISTAE *, qui licet Providentiam aliqua ratione admittere videantur, valde tamen inficiantur, dum eam, vel ad Lunam usque, nec ultra, descendere dicunt; vel ad genera, & species tantum, non etiam ad individua, extendi clamant. Et quamvis inter eos palmam praeferat D. ROUSSEAU: hic autem pali-

(1) *Si nous jettons un coup d'oeil impartial sur la race humaine, nous y trouverons un plus grand nombre de biens que de maux .... La Nature ne fût point une marâtre pour le plûs grand nombre de ses enfans .... Ne croyons point que le pouvre lui même soit exclûs du bonheur. La médiocrité, l'indigence, lui procurent souvent des avantages que l'opulence, & la grandeur sont forcées de reconnoitre & d'envier.* Systeme de la Nature *Part. I. chap. 16.*

linodiam canens eam ubique agnoscit, dum D. Voltaire contra illam suo more latrantem obiurgat **.

* Hoc nomine donari solent ii, qui licet Divinitatis exsistentiam non inficientur, ab ea tamen rerum humanarum, saltem singularum, curam avellunt; et quamvis aliquam Religionis larvam admittant, contra veram solidamque pietatem, ac Religionem acriori stilo scribunt, et declamant. Inter hos prae ceteris eminent Anonymus quidam ficto nomine Philosophi *De Sans-souci*, DD. Voltaire, et Rousseau, cuius postremi hoc erat effatum: *Dei providentiam esse tantum universalem, eumque genera & species conservare contentum, nullam individuorum curam habere*. (1). Sed quantum a recta ratione distent minuti isti, ut cum Cicerone loquamur, philosophi; vel ex eo patet, quod res quaecumque in mundo exsistentes, nempe quaelibet individua (§. 96.) nullam in se exsistentiae, conservationisque suae rationem habent sufficientem (§. 487.), nec actiones ullas, nisi vires eis a Deo conserventur, edere possunt (§. 494.). Si ergo creatio, conservatio, Deique concursus omnibus individuis sunt necessaria, eoque absolvitur Dei providentia (§. 509.), liquet, hanc etiam ad individua extendi. Adde, quod nisi Deus singulorum curam gereret, ne iustitiam quidem suam exercere posset; haec enim singulas singulorum actiones praemiis, poenis-

(1) *Il est à croire que les évenements particuliers ne sont rien ici bas aux yeux du Maître de l'Univers, que sa Providence est seulement universelle, qu'il se contente de conserver les genres & les especes & de présider au tout, sans s'inquiéter de la manière dont chaque individu passe cette courte vie. Un Roi sage, qui vout que chacun vive heureux dans ses états a-t'il besoin de s'informer si les cabarets y sont bons?* Let. de J. J. Rousseau à M. de Voltaire.

nisque promeritis remuneratur: id vero specialis eius providentiae evidentissimum est indicium. Idque ab eodem Rousseau suimet oblito pro certo statuitur, ubi ait: *Scitu necessarium, exsistere arbitrum sortis hominum, iustumque bonorum remuneratorem, malorum vero iudicem* (1).

** Praeter superadductam contradictionem D. Rousseau, aliam vividiorem, maiorem adducere libet. Ille quidem specialem Dei providentiam negat in epistola ad Voltairum (*not.* 1.). At, quod mireris, in eadem epistola palinodiam canens: *Se providentiam*, ait, *benefactricem intima convictione cognoscere, credere, sentire, velle, ac sperare beatitudinem futuram, pro qua multum in hac vita passum esse* (2). Nunc a Genevensi philosopho quaerimus, unde in eo spes oriatur, si Dei providentia ad genera tantum, speciesque protenditur? Spes enim illa vel sibi, suisque similibus tantum convenit, vel omnibus generatim hominibus. Si primum: Deus ergo curae habet, quomodo quodlibet individuum vitam degat: quod erat optandum. Sin alterum: omnes ergo, sive boni, sive mali, spem illam habere debent, adeoque nec *providentia benefica*, nec *supremus bonorum remunerator, malorumque iudex* Deus esset.

---

(1) *Ce qui m' interèsse moi, & tous mes semblables, c' est que chacun sache, qu' il existe un Arbitre du sort des humains . . . . . qui nous prescrit à tous d' être justes, de nous aimer les uns les autres . . . . . que l' apparent bonheur de cette vie n' est rien; qu' il en est une autre aprés elle, dans laquelle cet être supreme sera le remunerateur des bons, & le Juge des mechants.* Rousseau *Emile Tom. IV. pag. 87. & suiv.*

(2) *J' ai trop souffert en cette vie pour n' en pas attendre une autre. Toutes les subtilités de la Metaphysique ne me feront pas douter un moment de l' immortalité de l' ame, & d' une Providence bienfaisante. Je la sens, je la crois, je la veux, je l' espere.* Lettr. de J. J. Rousseau à M. de Voltaire. *pag.* 524.

set. Stupida vero foret philosophi huiusce cogitandi vivendique methodus, qui multa tulerit ob futuram vitam, dum tamen in ea nullum bonorum, malorumque fiat discrimen. Vides ergo, quot contradictionibus se implicant, quicumque contra veritatem arma imbecillia sumunt. Nec obstat, quod aiunt, indignum Deo esse vilissima quaeque curare; nam, ut optime advertit S. Thomas, si sapientiam potentiamque suam non dedecuit ea creare, utpote partes in systemate ingredientes, quid est quod non eam deceat, illas conservare, optimeque regere, e quibus si vel uno momento curam subtraheret, ut de iis non cogitaret, statim omnia in nihilum redirent? Vid. S. Doctoris *Part. I. quaest. 22. art. 3.*

CAPVT POSTREMVM

De Religione.

SECTIO I.

De Religione generatim.

520. QVamvis superflua videri possit in Metaphysica haec de Religione tractatio, quippe quam longe lateque percurrere Theologorum est, nec ad Philosophos quidquam pertinere primo intuitu videatur: quia tamen minuti aetatis nostrae philosophi Metaphysicae nomine abutentes permulta adversus Religionem, tum revelatam, tum etiam naturalem, iacula congerere ausi sunt, necessarium prorsus esse putavimus, ad Religionis maiestatem, philosophiae vero integritatem vindicandam, ali-

aliquid hoc super argumento dicere, partim ut adolescentum animi in maxima hac educationis parte firmentur, & contra venenatos libertinorum latratus muniantur; partim etiam, quia Religionis hostes sub falsa philosophiae specie argutantur: ut quisque sciat, non philosophiae, sed hominum ea abutentium culpae tribuendam esse, si pestiferis libellis, ac sermonibus contra Religionem nostra hoc aevo tam pessime declamatur.

511. Per CVLTVM hic loci intelligimus *consensum omnium actionum significantium, nos entis alicuius perfectiones agnoscere* *. RELIGIO ** est *cultus summi amoris, obsequii, ac servitutis ei, cui debetur, praestitus*. Eius partes sunt THEORETICA, cuius est, rectas de natura colenda favere opiniones; & PRACTICA, quae operationes secundum eiusmodi opiniones institutas comprehendit. Religio practica denuo est vel INTERNA, vel EXTERNA, prout actionibus tantum animi internis; vel etiam externis, signisque sensibilibus internos illos actus indicantibus absolvitur.

* Quoniam vox *cultus* vaga est (§. 43. ** *Log.*), eam hic definivimus, ut in universa hac tractatione eodem semper sensu usurpari possit.

** Sic dicta vel a *relegendo*, uti vult Cicero quia in ea quaecumque ad Divinitatem perti-

nent

nent ab aliis seliguntur, vel a *religando*, ut Lactantius, quia per eam Deo veluti obstringimur, et alligamur. Dici quoque solet PIETAS, eoque sensu a Platone, Cicerone, aliisque Veteribus usurpatur.

522. Religioni opponuntur ATHEISMVS *, absurda nempe opinio, quae nullam admittit Religionem; et SVPERSTITIO, nempe cultus vitiosus **. Eamdem enim iniuriam Enti supremo infert, qui nullum ei cultum praebet, ac qui vitioso cultui est addictus ***: ut ita recte inferatur, horum vitiorum utrumque pessimum esse. Si vero ad hominum societatem referantur, illum hac magis noxium esse, vel ex eo patet, quod naturales leges, quibus hominum societas tranquilla servari potest, potius ab eo, qui aliquam, licet absurdam; quam ab eo, qui nullam prorsus Divinitatis ideam habet, inviolatae servari possunt ****.

* ATHEVS enim est, qui Deum negat, ab α privativo, et Θεω, *Deo*. Atheismus ergo, sive IMPIETAS, nullum Deum agnoscens, nullam quoque Religionem admittit: isque si ab ignorantia procedat, NEGATIVVS; si vero a malitia, POSITIVVS dicitur, quorum ille INVINCIBILIS est, vel VINCIBILIS, prout ignorantia ista vinci nequit, vel potest; hic vero, si in mentis errore situs sit, THEORETICVS; si in moribus et actionibus ita institutis, tamquam si nullus Deus exsisteret, PRACTICVS appellatur. Atheismus theoreticus denuo est, vel VERVS, si quis Dei exsistentiam corde, labiisque inficietur; vel SYSTEMATICVS, si ore, vel scriptis tan-

tum-

tummodo neget, at contrarium intrinsecus sentiat. Ad quaestionem igitur: *utrum revera dentur Athei?* facillima est responsio. Nimirum *negativi* sunt quicumque rationis usu, sensuque communi carent: *practici* omnes ii, qui in aliquo peccant, eo enim se Deum agnoscere negant: *theoretici veri* nulli, nam nemo est tam hebes, qui ratione, quamvis praeiudicata, utens, nullam Dei exsistentiam esse, revera contendat: *systematici* denique dicendi sunt, quicumque tot sophismata, absurdasque sententias de Deo effutiunt, id quod, si ingenui esse velint, fateri debebunt.

** Vitiosus huiusmodi cultus harum trium caussarum oritur ab aliqua: vel nempe ex falsis de eius obiecto opinionibus; vel ex absurdo colendi modo; vel denique ex ipsa illius obiecti natura. Tales sunt cultus omnes a gentibus incultis ac barbaris, nedum ab omnibus Polytheistis adhibiti, quorum analysin coram conficiemus.

*** Idem enim est Deum non colere, ac vel absurdo, et iniurio colendi modo eidem obsequi, vel cultum Deo debitum alteri praestare. Vtrumque ergo Deo iniurium, hominique perniciosum esse, quisque videt. Hinc perbelle Beaumeisterus *Metaph.* §. 782. *Schol.* 3. quaestionem illam inter Bayleum, et Buddeum agitatam super atheismi, superstitionisque pernicie, eamdem esse concludit, ac si quaeratur: utrum detestabilius sit, laqueone, an gladio se interficere?

**** Si namque Dei exsistentiam Cives inficientur, nullam veram summi Imperantis ideam sibi efformabunt, solamque in eo potentiam pertimescent: et tunc actiones suas externas ad leges civiles attemperabunt sola poenali sanctione perterriti. At si quando eam eludere, vel iudices latere credant, quum nulla interna legis na-

tu-

turalis subiectione teneantur, ad pessima omnia praecipites ibunt, ac viribus inter se, non iuribus decertantes, extremum Societati excidium minabuntur: ut de sexdecim latronibus ad unum redactis narrat Aristoteles. Superstitiosi contra, quamvis ad enthusiasmum, et fanatismum sint procliviores, quia tamen aliquam Divinitatis, adeoque et legis naturalis ideam habent, et Principem ut Divinitatis vicarium reverebuntur, et ad legum naturalium, saltem aliquarum, custodiam interno conscientiae iudicio adigentur.

523. Quandoquidem ergo Deus est summum bonum (§. 480.), optimus, ac beneficus (§. 478. *seqq.*), creator (§. 488.) conservator (§. 491.), ac dominus omnium rerum (§. 508.); summo vero bono summus amor (§. 315), benefactori, ac superiori obsequium, domino denique servitus debetur, ut experientia, sensusque communis constanter evincit; & in omnigeno illo cultu Religio consistit (§. 521.): consequens est 1. ut Religio soli Deo debeatur *; adeoque 2. & atheismus, & superstitio duo vitia nefanda sint; 3. ut Religionis ratio sufficiens in perfectissima & essentiali rerum creatarum a Deo dependentia sita sit. Quumque dependentia isthaec nec solam animam, nec solum corpus respicit, sed utrumque simul; totusque homo a Deo dependeat: sequitur 4. ut tam animae actionibus, quam corporis motibus Deo cultus sit praebendus; ac proinde 5. Religio tam interna, quam externa Deo debeatur **.

* In

* In hoc ergo peccant quicumque, Deum nullum ab hominibus cultum exigere, autumant, *Le philosophe. pag.* 113., aut idololatriam profitentur: cultum enim Deo debitum aliis obiectis indignis praebent, quae IDOLA vocantur, nempe falsae Deitates, quum pro Deo habetur, et colitur quod Deus non est.

** Si namque homo anima, et corpore constat (§. 146.), atque illa a Deo per creationem producitur (§. 410.); hoc etiam ab ipso Deo, dum in caussis efficientibus a se creatis (§. 165.), viribusque praeditis (§. 31. *seqq.*), vires activas conservat (§. 492.): totus homo suam a Deo dependentiam omnibus suis actionibus ostendere debet; adeoque tam internum, quam externum Religionis cultum ei praebere.

524. Ex quo patet 6. nec Religionem internam sine externa, nec hanc sine illa subsistere posse, sed 7. utramque simul coniungi debere, ut verus Deo cultus tribuatur, ac proinde 8. QVAKERISMVM* aeque, ad HYPOCRITISMVM ** vitiosum esse.

* Quakeri enim cultum tantum internum Deo deberi aiunt: huiusque classis est D. Rousseau. *Emile Tom. III. pag.* 124. *Catéchisme de l'honnête homme pag. 6. & suiv.*, Auctor libri *les moeurs Part. I. chap.* 3. *pag.* 56., *Encyclopedie art. cérémon. Tom. II. pag.* 826.

* * HYPOCRISIS appellatur *simulatio pietatis*. In ea cultus externus sine interno est cultus simulatus, qualis erat Religio Pharisaeorum, quos proinde *hypocritas*, ac *sepulcra dealbata* vocat Servator noster *Matth. III. 7. VII. 1. XXIII. per tot.*

552.

525. Quoniam autem anima, & corpus hominem constituit (§. 146.); homo autem species est (29. *Log.*), quae omnia humana individua, nullo excepto, comprehendit (§. *eod. seqq.*), isque ob essentialem a Deo dependentiam, eidem omnimodam debet religionem (§. 523.): liquido infertur 9. omnes homines, absque ulla exceptione, Religione erga Deum teneri; adeoque 10. nullam hominum ab hac indispensabili, essentialique obligatione immunem esse posse. Hinc POLITICISMVS, qui summos imperantes ab ea excludit, supremae potestatis hostis, nedum impius, & absurdissimus est censendus *.

* Systematis huius artifex callidissimus fuit Nicolaus Machiavellus Florentinus, qui sub falsa Regalismi specie Monarcomachismum profitetur, et dum Principibus cuncta indulgere monstrat, iis omnia adimit eodem tempore, quo civibus invisos, omnibus autem hominibus perosos reddit: ut plenius alibi, quum res exegerit, ostendemus. Is seditiosum huiusmodi systema proponit in libro inscripto *il Principe*, in quo praeter innumeras absurdas, vaferrimasque regulas Principibus traditas, solos subditos, ait, Religione obstrictos esse, non etiam Principes; hos autem *politiae* tantum caussa eam profiteri debere. Eius sententia praecise haec est: *non opus esse, ut Princeps sit Religioni addictus, sed ut videatur: immo hanc esse qualitatem, quam maxime interest exterius habere* (1). At

(1) *Non v' è bisogno, che Tu* (Principe) *abbia tutte le qualità, che ho detto, ma solamente che tu mostri di averle. Tu devi comparir clemente,*

At praeterquam quod Principes homines sunt, nec ab indispensabili Religionis obligatione eximi possunt: iis Religio est necessaria, tam sui, quam subditorum caussa. Sui quidem: nam quum in ordine cosmico, et inter entia ratione praedita, in suprema licet hierarchia, sint constituti, ipsi quoque ad universorum finem sunt destinati; adeoque et immortalitatis, et felicitatis suae post mortem duraturae, cujus desiderio et ipsi tenentur, curam habere debent: unde et supremum omnium Dominum, ac imperantem Deum agnoscere, et revereri tenentur, a quo rerum summam acceperunt, per quem Principatus sui clavum tenent, et iusta decernunt, et a quo regiminis, virtutumque suarum praemium exspectant. Subditorum porro: eos enim sapientibus legibus, amore, et timore regere, sibique devincere debent eodem modo, quo pater filios, totamque familiam optime gubernat.. Quod si Princeps falsi huiusce Politici auctoritate ducti nullo Religionis vinculo tenerentur, iam de Republica actum esset: nullum enim erga subditos amorem, nullam eorum salutis curam haberent; sed pessima hypocrisi laborantes eos pessum darent. Accedit etiam ratio politica: nam, ut bene advertit eiusdem Regius confutator, quamvis irreligionem suam Princeps simulet, numquam obtinere poterit, ut subditos lateat, qui, quoniam *vita Principis censura est, eaque perpetua*, Plin. *Paneg. cap.* 45. §. 5., in eam oculos, aures, omnesque coniecturas, ac speculationes dirigunt, quippe qui *non tam imperio opus habent, quam exemplo*. Plin. *ibid.* (1).

Bb Quum

te, fedele, affabile, intiero, e religioso, di maniera che a vederti, e ad udirti si creda, che tu non abbia che bontà, fedeltà, integrità, dolcezza, e Religione. Ma quest' ultima qualità è quella, che importa più di ogni altra di avere esteriormente. Machiavel. *il Principe cap.* 18.

(1) *Si sa fino a qual segno il Pubblico è curioso; è un animale, che tutto vede, che tutto sente,* e che

Quum igitur huiusmodi Principis irreligio patuerit, duorum alterum eveniat, oportet: vel subditos eius subiectionem excussuros, *nec toleraturos profani Principis imperium*, ut advertit Tacitus *Annal. XVI.*: vel quia *regis ad exemplum* teste Plinio, *omnium subditorum vita componitur*, eiusdem profanos mores, impietatemque imitaturos; quo casu soluto Religionis vinculo, nulla Principi felicitatis, securitatisque spes relinqueretur. Nam, ut optime D. de l'Hopital, Vir et ratione, et experientia edoctus, dicere solebat, *Religio maiorem super hominum spiritibus vim habet, quam omnes eorum adfectus; nodusque, quo ab ipsa invicem colliguntur, absque ulla comparatione, fortior est omnibus vinculis Societatis*. Non est ergo, quod D. Amelot de la Houssaye *Praefat. ad Princ. Macchiavell.*, et passim *in notis*, istum Antecessoris sui errorem tegere conetur. Nec est, cur Lucretius *Lib. II. v. 42. seqq.*, Hobbes *Leviath. cap. 10.*, *et de Cive cap. 12.*, Auctor *de l'Esprit des loix*, Rousseau *Emile Tom. III. pag. 172.*, aliique Religionem, ut Societati adversam, lacerent. Nam praeterquam quod vera Religio quae Principis sunt principi reddenda iubet *Matth. XXIII. v. 21.* iis

---

e che divolga tutto ciò, che ha veduto, tutto ciò, che ha sentito. Se la curiosità di questo Pubblico esamina la condotta de' Particolari, è per divertire il suo ozio; ma allorchè giudica del carattere de' Principi, è per suo proprio interesse. Così i Principi sono esposti più degli altri uomini a' discorsi, ed a' giudizj del mondo: eglino sono come gli astri, verso de' quali un popolo di Astronomi ha dirizzato i suoi cannocchiali, ed astrolabj: i Cortigiani, che gli osservano, fanno ogni giorno le loro osservazioni: un gesto, un colpo d'occhio, uno sguardo gli tradisce, *e i Popoli a loro si avvicinano colle congetture. In una parola, siccome il Sole per poco può nascondere le sue macchie; così per poco i gran Principi possono palliare i loro vizj, e 'l fondo del loro carattere agli occhi di tanti osservatori*. Anti-Machiavello. *Esame, e confutazione del cap. 18.*

iis obedientiam *Coloss.* III. 22., *Ephes.* VI. 5., subiectionemque *Rom.* XIII. 1. *reqq.*, etiam si mali fuerint I. *Petr.* II. 18., praecipit: recentibus tamen dolendisque exemplis evincimur, quantum Religionis comtemtus Societati nocet, subditosque a legitimi Principis obedientia, amore, ac subiectione subripiat; id quod seditiosis illuminatorum saeculi nostri Scriptorum doctrinis acceptum ferendum est.

529. Religio porro est, vel NATVRALIS, quae tantum ea complectitur, ad quorum cognitionem solo rationis lumine perveniri potest; vel REVELATA, quae ea tradit, ad quas humana ratio pertingere nequit; ut ita speciali quodam modo a Deo revelari debuerint. Pars illius theoretica (§. 521.) continet, quae in Cosmologia, Psychologia, ac Theologia naturali huc usque a nobis tradita sunt; huius contra sublimissimas de Trinitate, humanique generis lapsu, ac reparatione doctrinas: illius pars practica (§. *eod.*) praeceptis Iuris Naturae, quae peculiari tractatione postmodum amplectemur; huius vero, praeceptis morum, consiliisque a beneficentissimo mundi Servatore Christo datis ad aeternam salutem consequendam, absolvitur *.

* Vides ergo, Religionem naturalem in theoria scientiam (§. 2. *Log.*), in practica praecepta naturalia, et ab ipsa hominis rerumque natura derivata continere, adeoque ad Philosophiam pertinere, quae duce ratione utitur (§. 6. *Log.*): revelatam, quae captum humanum superantia tra-

 dit,

dit, in theoria fidem (135. *seqq. Log.*); in practica praecepta positiva, atque a libera Creatoris voluntate pendentia amplecti, ac proinde sacrae cuiusdam disciplinae, quae Theologia κατ' ἐξοχὴν appellatur, obiectum esse.

SECTIO II.

De Religione naturali.

527. QVandoquidem Religio Deo debetur (§. 523.), eamque ab hominibus Ens supremum exigit: quaenam ea sit, videamus. Et primo quidem, exsistere veritates animae humanae libertatem (§. 372. *seqq.*), spiritualitatem (§. 383. *seqq.*), et immortalitatem (§. 396. *seqq.*), nedum Dei exsistentiam (§. 458. *seqq.*), attributa (§. 465. *seqq.*), & operationes (§. 486. *seqq.*) optime firmantes, iam in superioribus ostensum est. Quumque in ea scientia Religio naturalis theoretica sita sit (§. 521.): clare patet 1. exsistere Religionem naturalem theoreticam.

528. Quoniam autem exstat ordo cosmicus (§. 499.) et in eum ordo quoque moralis ingreditur (§. *eod.*), cuius leges actiones hominum liberas ad finem communem dirigunt (§. 501.); leges autem illae non sunt, nisi praecepta naturalia a Deo entibus rationalibus imposita, quae solo rationis lumine agnoscuntur (§. *eod.*

eod. seqq.); in eo vero Religio naturalis practica consistit (§. 526. *): sequitur 2. ut exsistat quoque Religio naturalis practica *.

* Errant igitur Hobbes, et Helvetius, qui nullum natura iusti et iniusti, honesti turpisque discrimen esse scribunt, sed omnia hominum voluntate, ac opinione mensuram accipere.

529. Quum igitur exsistat Religio naturalis, tam theoretica (§. 527.), quam practica (§. 528.), iis autem universa Religio naturalis absolvatur (§. 51.): consequens est 4. ut Religio naturalis exsistat. Quumque ea ratione nitatur (§. 526.); haec vero in errorem inducere nequeat (§. 356.): evidens est 4. Religionem naturalem esse non posse falsam; 5. eam tamen esse admodum imperfectam, et incompletam, ut ad verum Dei cultum, hominisque felicitatem sola non sufficiat *.

* Religio ergo naturalis optima quidem est, at insufficiens; id quod agnovit Clemens Alexandrinus *Stromat. Lib. I. pag.* 282. quum *philosophiam*, ait, *praeparare, dum ei viam munit, quae a Christo perficiatur*. Id vero est, quod negant NATVRALISTAE, ac prae ceteris Tindall *Christianity as old, as the creation*, Rousseau *Cathéchisme de l'honnête homme*, Voltaire *Henriade pag.* 312., aliique, qui Religionem naturalem adeo extollunt, ut ipsam solam sufficere dicant; atque hoc non alia de caussa, quam ut ad Atheismum recta ducant, omnemque Religionem funditus evertant.

530. Nimirum naturalis ratio sibi soli relicta veritates aliquas ad completam Religionem pertinentes, vel difficillime perspicit *, vel perspicere nequit **; sive quia impura est, sive quia limitata, nec in immensas entis infiniti perfectiones penetrare potest: voluntatem hominis ad actiones legibus moralibus conformes vel nulla, vel quam minima saltem, efficacia determinat, et impellit ***: unde evenit, ut sola ratione duce nec vera Deo Religio praestari, nec homini vera felicitas comparari queat.

* Inter illas enim insunt veritates difficillimae, vel ob eorum sublimitatem, veluti de natura, et attributis Dei, de creatione, et providentia; vel ob oppositionem, quam cum praeiudiciis, pravisve adfectibus, et habitibus habent; vel ob eorum obscuritatem: unde fit, ut assiduo studio, meditatione, praeiudiciorum absentia, nedum maxima perspicacia, et exercitatione opus habeant, nec, nisi ab iis, qui studiosis laboribus sunt maxime adsueti, et attriti, cognosci vix possunt. Idque vel ex eo patet, quod in omnibus omnium veterum, recentiumque philosophorum libris, in quibus ratio sibi soli relicta est, absurdas quasdam opiniones, sive super animae natura, et propietatibus, sive super Dei notione formanda, sive etiam super regulis morum, invenire licet. Ex quibus omnibus rite colligi poterit, quantum caecutiat ratio, dum sibi soli relinquitur. Ratio igitur, inquies, nos in errorem inducit? Nequaquam: sed ea in investigandis quibusdam veritatibus difficillime adhibetur.

** Nam quum ad completam Religionem exigatur etiam externa (§. 523.), quae ritus, coeremoniasque continet, quibus Deo cultus est praestan-

standus (§. 521.) : quibusnam ritibus Deus coli velit, ratio ignorat. Praeterea, quum natura factum infectum fieri nequeat (§. 506.), quonam modo ordo moralis restitui possit, Deoque pro peccatis satisfieri, eadem ratio nescit (§. 479. + 506.). A Deo igitur utrumque singulari quodam modo addisci debet.

*** Virtus enim voluntati humanae satis ardua videtur ob efficacissimum affectuum impetum, vehementemque voluptatum impressionem, quae quum sensuales sint, animam vividius adficiunt, quam vera bona, quae intelligibilia sunt. Hinc exstiterunt omni tempore Viri alioquin clarissimi, licet in pluribus boni, in deterrima tamen vitia prolapsi: ut adeo scripserit Iuvenalis *Sat.* 13.

Egregium, sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, vel miranti sub aratro
Pisicibus inventis, aut foetae comparo mulae.

Eodemque modo Tullius *Tuscul. quaest. Lib. II. cap.* 3.: *Sed haec eadem*, ait, *num censes apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo, ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? videre licet alios tanta levitate, & iactatione, iis ut fuerit non didicisse melius: alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio*. Sed ne in investigandis veterum exemplis, et auctoritatibus tempus teramus, eiusdem adversarii adsertione doctrinam hanc stabiliemus. Is est D. Rousseau, qui dum philosophicas, naturalesque leges maxime commendat, eas tamen sanctione destitutas esse, conqueritur (1).

(1) *On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule; quelle solide base peut on lui donner?*

531. Ex quo liquido patet, 6. Religionem naturalem esse admodum incompletam etiam ex eo, quod omnium captui non est adcommodata *: quum tamen omnes homines, quamvis rudissimi, ea obstringantur (§. 525.); ac proinde nulla difficultate illam percipere, addiscere, & callere debeant. Hinc porro legitima consequutione deducitur 7. universalem hanc entium rationalium in Religione institutionem a philosophia proficisci non potuisse **. Quae quum ita sint, Religionem naturalem denuo infirmam, & insufficientem esse, nemo negabit ***.

* Si namque rectae rationis usu, nec, nisi assiduo studio, ac meditatione, libertate a praeiudiciis, ac maximae perspicaciae auxilio Religio naturalis agnoscitur: admodum paucis, qui his praesidiis instructi sunt, innotesceret; omnes autem reliqui, sive ob ingenii, sive ob attentionis, sedulique studii defectum, sive ob praeiudicia, aliasve caussas, eam ignorarent, ac ignorantiam suam quodammodo excusarent. At quum Religio omnes in universum homines obstringat (§. 525.), nec ab ea quisquam excusetur: talis esse debet, ut a nemine vel rudissimo ignorari possit; adeoque Religio naturalis est insufficiens.

** Apposite Nepos apud Lactant. *Div. Instit. Lib. III. c. 15.*: *Tantum abest*, ait, *ut ego magistram esse putem vitae philosophiam, beataeque vitae effectricem, ut nulli magis opus sit magi-*

ner ?.... Philosophe, tes loix morales sont fort belles, mais montre-m'en, de grace, la sanction. Rousseau *Emile. Tom. II. pag.* 167. *edit. de Genev. du* 1789.

gistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputando versantur. Huc accedit, quod generis humani institutio exigit in instituente maximam intellectus, et voluntatis perfectionem, et auctoritatem. Intellectus quidem, ut omnia Religionis officia, omnesque calleat veritates ita comparatas, ut nulla obscuritate, vel difficultate laborent, nec ullis disputationibus sint obnoxiae: voluntatis porro, ut solo humani generis amore institutionem illam adgrediatur omnino laboriosam, nec modo voce, sed et exemplo, quo maxime homines ad recte agendum adducuntur, eos instruat: auctoritate tandem, ut omne momentum veritates traditae super hominum animos habeant. Haec autem requisita in philosophis desiderantur: nullus enim illorum omnimoda cognitione praeditus hucusque inventus fuit, nec una quidem veritas in eorum scriptis observatur, quae nullam disquisitionem admittat; immo cuius vel ipsi adeo certi fuerint, ut adsensum tuto praestiterint. Vid. Cic. *Tuscul. quaest. Lib. I. cap.* 9. & 11., et Lactantius *Divin. instit. Lib.* III. *cap.* 17.: genus humanum vel parum admodum, vel nihil amarunt, sed nimia gloriae cupiditate ducti omnes homines despectui habuerunt, ut universa historia philosophica testatur: et si aliquam super hominum animos auctoritatem habuerunt, vel ad discipulos tantum, vel ad unam aliquam Civitatem, aut Provinciam, ne ad concives quidem suos, aucteritatem illam extenderunt.

*** Nec est, quod Tindall, et auctor libri *les Moeurs*, dicant, rationem esse donum Dei, adeoque ad investigandas Religionis doctrinas sufficere. Quamvis enim Dei donum ratio sit: ea tamen limitata est, et impura (§. 354. *), cum sensu scilicet, et phantasia permixta (§. *eod.*); adeoque, ut limitata, supra captum suum exsurgere nequit; ut impura, veritates aliquas difficiles, summoque labore detegit, ut supra ostendimus (§. 539. *); ac proinde doctrinae vel difficiles, vel humanae rationis ambitum excedentes,

revelatione indigent. In eo vero ratio inutilis non est: ad expendenda namque credibilitatis motiva recte adhibetur. Immo illud Dei donum ideo quoque datum homini videtur, ut Religionis revelatae motiva ad credendum impellentia expendens, verae det Religioni nomen, eoque modo ad fruendum suae felicitatis obiectum tuto perveniat.

532. Quum igitur Religio homini necessaria sit (§. 513. *seqq.*), in eaque universum genus humanum instrui debeat (§. 531.) ab ente intellectus et voluntatis perfectionem, maximamque super eo auctoritatem habente (§. *eod.* **), id quod nullum aliud esse potest, quam ipse Deus, utpote omniscius (§. 473. *), optimus (§. 479.), omniumque rerum Opifex (§. 488.), moderator (§. 496.), ac Dominus (§. 508.); Religio vero naturalis sit incompleta, & insufficiens (§. 529. *seqq.*): consequens est 8. ut homines a Deo in Religionem instituti debeant; adeoque 9. necessaria prorsus sit Religio revelata *.

* Necessaria quidem, et ad Deum rite colendum (§. 530. *), et ad aeternam salutem homini consequendam (§. *eod.*); ac proinde recte dici potest, Religionem revelatam esse undequaque necessariam. Hanc veritatem optime agnovit Plato *in Epinomide*, dum *pietatem*, ait, *neminem docere posse, nisi Deus, quasi dux, & magister praeiverit*. Immo et Socratem *in Phaedone* hortantem inducit, ut in tanta rerum difficultate ad sapientiam homo contendat, *donec lumine aliquo clariore, aut ipsa Dei voce, quasi duce, ad vitam recte probeque ducendam instituatur*: idemque clarius repetit *in Alcibiade* II. *circa fin.*,

fin., ubi hanc sententiam evidentissime prolatam stupens lector inveniet.

SECTIO III.

De Religione revelata.

533. QVamquam Religionis revelatae necessitas ab humanae rationis imbecillitate, quae veritates quasdam difficillime (§.530. *), alias numquam (§. *eod.* **) omnino perspicit, nec cultum externum (§. *eod.* **), nec modum genus humanum in veritatibus, officiisque instituendi detegere potest (§. 531. **), evidenter hucusque deducta sit (§. 532. **): quia tamen eius possibilitatem, & exsistentiam vel aperto inficiantur, vel in dubium saltem vocant Naturalistae, hoc argumentum in praesenti sectione breviter pertractandum ideo adgredimur, ut, solutis omnibus difficultatibus, ad Christianae Religionis sanctitatem, veritatemque agnoscendam omnes venerabundi accedant.

534. REVELATIO, sive SERMO DEI, est: *actio, qua Deus immediate, ac per se cogitationes suas homini significat*. Quidquid a Deo omniscio (§. 473. *), infinite sapiente (§. *eod.*), ac veracissimo revelatur (§. 482.), verissimum, ac certissimum est (§. *eod.* * 136. *Log.*). VERITAS porro est, vel NATVRALIS, nem-

pe *propositio captum humanum non excedens, quae sola ratione, quamvis difficillime, cognosci potest*; vel SVPERNATVRALIS scilicet *enunciatio captum hominis exsuperans, quae a ratione cognosci nullo pacto potest*; adeoque dicitur *supra rationem* (§. 355.), alio nomine MYSTERIVM *.

* Veritas ergo naturalis est: *Deus exsistit, Deus mundum creavit, Deus omnia regit*; supernaturalis vero, *Deus unus est trinus in personis, Deus homo factus est &c.*

535. Quoniam itaque Deus est omnipotens (§. 488.), & sapientissimus (§. 473.): omnia, quae intrinsecus possibilia sunt, scilicet contradictionem non involvunt (§. 36.), efficere potest (§. 37. **), mediaque ad finem optime ducentia eligere (§. 41.). At unum ens alteri cogitationes suas patefacere, intrinsecus possibile est, videmus enim id ab hominibus quotidie agi; spiritusque puros se invicem praebere intelligendos, nullam omnino repugnantiam infert: consequens ergo est 1. ut Deus cogitationes suas hominibus significare possit *; adeoque 2. revelatio sit possibilis.

* Nimirum potest Deus singulari quodam modo intellectum humanum illustrare, ut se inspiratum esse clare sentiat; vel aerem ita modificare, ut vox ad aures perveniat conceptus suos explicans; vel doctrinam alioquin ab homine promulgatam prodigiis, ac miraculis confirmare. Potest etiam multifariam, multisque modis, quotquot ab ente infinito excogitari possunt, hominibus

bus cogitationes suas patefacere. Sic prophetarum mentem illustravit; Mosi ex rubo ardente, ac super montem Sinai clara voce loquutus est, doctrinamque ab eo propositam miraculis confirmavit.

536. Quum ergo Deus infinitis modis conceptus suos homini patefacere possit (§. 535.); Religionem autem ab hominibus exigat (§. 525.), cuius veritates, ac praecepta sola ratione duce vel difficillime, maximisque cautionibus adhibitis (§. 530. *), vel numquam omnino ab homine perspici possunt (§. *eod.* **): recte consequitur 3. ut nihil obstet, quo minus a Deo quaecumque veritates, sive naturales *, sive supernaturales **, homini per revelationem manifestari possint; in quo quum Religio revelata consistat (§. 526.): infertur 4. Religionem revelatam esse possibilem.

* Quum enim veritates ad Religionem naturalem pertinentes, licet rationi subiectae, ab hominibus tamen difficillime perspiciantur (§. 530.), sive ob rationis impuritatem, sive ob affectuum praedominium, sive ob innumeras alias caussas, quibus a cognoscendo certissime vero impediuntur; non modo rudibus, sed et ipsis quoque sapientibus, et perspicacibus vel prorsus imperviae, vel imperfecte admodum cognitae redduntur. Religio contra homines nullo discrimine obstringit (§. 525.), a qua nec rudissimus quisque excusari potest (§. *eod.*); eis ergo veritates ita comparatae esse debent, ut ab omnibus absque ulla difficultate, aut suspicione intelligi possint, addisci, ac teneri: ut inde aperto deducendum sit, nullum adesse posse dubium, quin Deus veritates na-

naturales hominibus revelare possit. Huic enunciationi opponunt Deistae: 1. veritates certius ratione, quae metaphysicam; quam auctoritate, quae moralem certitudinem parit, agnosci posse. At hic non de auctoritate humana, sed de Divina sermo est, quae certitudinem omni exceptione maiorem, omnibusque numeris absolutam in nobis producit (§. 136. *Log.*). Certius ergo, et firmius Divina auctoritate, quam ratione, veritates cognoscuntur: ea enim animos, non modo rudium, sed et ipsorum sapientum movet, praecipue quia naturae humanae adcommodatior est, quae a teneris unguiculis sola auctoritate Religionis dogmata discit omne momentum, firmissimasque radices in eorum mentibus agentia: ut ita insaniat D. Rousseau, qui Dei cognitionem ante vicesimum annum hominibus insinuari vetat, ne in Antropomorphismum delabantur. Si namque adolescens per vicennium absque Deo educatorum culpa vixerit: post illud eodem modo vivere volet, eamque ignorantiam, quae effraenes libidines et affectus reddidit, adamabit verens, ne Dei ultoris cognitio voluptatum suarum imperium minuat, vel progressum impediat: ut perbelle eum obiurgat Vir omni eruditione praeditus Alphonsus Mozzarelli, qui Aemilium iam experrectum Genevensi Philosopho lepide respondentem inducit (1). 2. Plebem, aiunt, nimis credulam ab impo-

(1) *Voi studiaste di farmi un Deista, e col piano della vostra educazione mi faceste un Ateo. Io crebbi sino a' vent' anni, senz' aver udito parlarmi, nè di Dio, nè di Religione. In quella età, in cui le passioni sono più gagliarde, mi fu detto, che v' era una Religione, ed un Dio. Risposi francamente, ch' io era stato senza Dio per venti anni, e che potea così vivere per altri venti. Il bollore del sangue mi trasportò fuori della patria, e vivendo senza Dio, e senz' anima, pensai a soddisfare quelle passioni che non avean sofferto altro freno, fuorchè il contegno d' una piacevole disciplina.*

postoribus revelationem iactantibus fuisse persaepe circumscriptam. At, bona adversariorum pace, nulla alia hinc conclusio deduci potest, nisi nos in diiudicanda revelatione admodum cautos esse debere. Haec autem cautio non modo in revelata, sed et in naturali Religione adhibenda est: unde ratio homini data ad expendenda credibilitatis motiva (§. 531. *not.* 3.), institutores vero necessarii, ne rudes impostorum illusionibus exponantur.

** Entis enim infiniti attributa; item veritates, quae de eo enunciari possunt, et numero, et intensitate infinita sunt: unde omnem humanae rationis aciem exsuperant, quum ab infinito ad finitum nulla sit proportio (§. 131.); adeoque veritates illae supernaturales sunt, idest angustos rationis humanae limites exsuperantes, easque ideo reiicere velle, quod comprehendi nequeunt, est contra rectae rationis dictata agere. Vid. *Part.* II. *cap.* 1. *Schol. can.* 3. *Log.* Ineptit ergo Bayleus, dum eas contra rationem esse contendit, nec ei dissimilis est D. Rousseau, dum veritates Evangelicas contradictionis accusat *Emile Tom.* III. *pag.* 149.: nam ut in aliqua propositione contradictio, vel cum ratione pugnantia adseratur, oportet, ut non modo praedicati cum subiecto aperta discrepantia percipiatur, sed et duplicis illius termini distincta, aut clara saltem idea habeatur; id quod in veritatibus supernaturalibus nusquam obtineri potest. E contrario idem Bayle sui met oblitus aperta contradictione fatetur: *rationem agnoscere exsistentiam aliquarum veritatum realium, quae tamen ab ipsa comprehendi ne-*

---

na . . . . Nell' età più impaziente di giogo, come addossarm' il peso d' un Dio? . . . . . Giunto agli anni tanto sospirati della libertà, come tentare il peso d' un' abborrita servitù? . . . Io vi confesso, ch' ebbi timore di trovare un Dio, e amai piuttosto una piacevole incertezza, che una dura verità. Mozzarell. *Emil. disingann. Dial. I.*

nequeunt. *Oeuvr. de Bayle Tom.* I. *pag.* 133. Quum igitur Deus homini Religionis obligationem imposuerit (§. 523.); in ea vero principem locum obtineat revelata (§. 526.), quae necessaria prorsus est (§. 532.); haec autem veritates supernaturales, sive mysteria contineat omnem humanae rationis aciem excedentes (§. 526.): quum nihil Deo impossibile sit (§. 488. 535.), quisque novit, mysteriorum revelationem nedum esse possibilem, sed et omnino necessariam.

537. Quoniam itaque veritatum tam naturalium, quam supernaturalium revelatio possibilis est (§. 536.); haec autem fidem divinam parit (§. 135. *Log.*), quae nulli umquam suspicioni obnoxia esse potest (§. 136. *Log.*); Deus vero infinita scientia (§. 473.), & veracitate praeditus (§ 482. *) nec falli, nec fallere potest (§. *eod.* *); unde eiusdem verbum omnis certitudinis fons est, & fundamentum (§. 136. *Log.*): consequens est 5. ut quaecumque veritates, sive naturales illae sint, sive mysteria, statim ac a Deo revelata esse constat, ab homine firmissima, ac constanti fide teneri, credique debeant *; ita ut 6. qui certissimum adsensum iis denegare velit, non modo Deo, sed et rationi suae atrocissimam inferat iniuriam **.

* Veritatis huius evidentiam agnovit Auctor libri *les Lettres Juives Lettr.* 138., ubi ait: *Solum examen, utrum res aliqua revelata sit, permittendum, quo perfecto, nec de ea dubitari, nec eius explanationem peti posse* (1).

** Deo

(1) *Il doit être permis d'examiner, si une cho-*

** Deo quidem, quia eius perfectionibus derogare nititur; rationi propriae, quia quum ea ipsi data sit ad expendenda credibilitatis motiva, eadem abutitur, dum nec infinitas Dei perfectiones contemplatur, nec divinae revelationis exsistentiam, momentumque perpendit, et sublimissimas entis infiniti veritates finitae rationis modulo metiri cupiens, quae intelligere nequit audacter respuens, contra rationem agit.

538. Quia vero Deus eſt mundi dominus (§. 508.), ac rector (§. 496.), eum miro ordine gubernans (§. 497. *seqq.*), in quo ordo moralis legibus moralibus regendus, ac conservandus ingreditur (§. 499.): sequitur 7. ut Deus principatum suum, uti legibus cosmicis sapientissime conservat, ac regit (§. 500.), ita & moralibus non modo naturalibus, sed & positivis, a libera nempe legislatoris voluntate pendentibus, gubernare possit *; adeoque 8. ipsi communi hominum sensui se opponant Naturaliſtae, dum potestatem leges positivas ferendi Deo inesse, impudentissime negant.

* Si namque mundus est Dei principatus, sive Theocratia (§. 508.); Princeps autem Rempublicam suam sine optimis legibus gubernare nequit, ut cuique patet; entia vero rationalia in hoc principatu posita non nisi legibus moralibus gubernari queunt (§. 501. *seqq.*): quidni et Deus le-

---

chose a été veritablement révelée; mais qu' il ne doit plus être permis d' en douter, ni de vouloir l' eclaircir, dès qu' il est sur qu' elle l' a été. Lettr. Juiv. *Lettr.* 138.

leges morales, adeoque et positivas, ferendi potestatem habebit?

539. Quandoquidem igitur revelatio veritatum naturalium, mysteriorumque possibilis est (§. 536.); item Dei legislatio moralis, non modo naturalis, sed & positiva * (§. 538.), quae non nisi revelatione hominibus innotescere potest **; illa vero Religionis revelatae theoriam (§. 426.), haec praxim constituant (§. eod.): recte colligitur 9. Religionem revelatam esse possibilem.

* Nimirum: Deus leges positivas hominibus imponere potest: nam quum supremum super eos, absolutumque dominium habeat (§. 508.), idque multas ob caussas: sive ob creationem (§. 489.), sive ob conservationem (§. 491.), sive etiam ob assiduam, quotidianamque curam (§. 510.), quascumque leges a libera sua voluntate pendentes ferre, iisque omnes subiicere potest. Huc accedit, quod homo ad veram felicitatem a Deo directus media ad illam ducentia, adeoque quales esse debeant actionum suarum normae, ut felicitatem illam assequatur, solo naturali lumine perspicere nequit (§. 530.). Deus ergo finem volens consequenter et media (§. 40.), huiusmodi normas, sive leges positivas et imponere non modo potest, sed et secundum ordinem suae Providentiae debet. Possibilitatem hanc agnoverunt omnes omnium aetatum, locorumque gentes: ut inde antiquissimi populi leges suas se a Diis accepisse gloriati sint, maximaque religione servaverint.

** Voluntas enim Legislatoris nulla alia ratione, quam signis eam exprimentibus potest subditis patefieri. Hinc est, ut leges humanae non obligent, nisi populis subiectis sufficienter manifestae fiant per publicationem.

540.

540. Quoniam autem homo sine revelatione nec Deum rite colere, nec aeternam felicitatem consequi poteſt (§. 530.): eam ad utrumque finem utilissimam esse, nemo negabit *. Quum itaque Deus ab homine Religionem exigat (§. 523.), eumque ad veram felicitatem ordinaverit (§. 508.), quae sola naturali Religione obtineri nequit (§. 530.): eadem divina bonitas, & providentiae sapientissimus ordo poſtulat, ut Religio illi perfecta sit; adeoque Religionis naturalis defectus per revelationem suppleatur, ut habeatur Religio completa. Quumque iuſtissimus Deus contra sapientiam bonitatemque suam agere nequeat (§ 481.): Religionem hominibus iam revelavit; ac proinde 10. Religio revelata exsiſtit **.

* Vtilissima profecto est Religio revelata; quia non modo solidam Dei, suique scientiam, fidemque homini communicat; praecepta naturalia et positiva ad actiones suas probe dirigendas tradit: sed et infirmitatem eius omnimode erigit, eamque opportunis auxiliis, gratiis, salutaribusque mediis adiuvat, et ad veram felicitatem facillime dirigit. Gratiarum autem exsistentiam probat experientia: vides enim homines ea adiutos praecepta difficilia, quae alias hominibus paene impossibilia viderentur, summa facilitate, ac perseverantia observare; pravos adfectus, ac cupiditates etiam dum effraenatae sunt, extemplo rationis, ac Religionis imperio subiicere: uno verbo omnem cogitandi, vivendique rationem mirabili conversione mutare. Quod quum solius naturae viribus fieri nequeat, ut quisque novit: supernaturalis auxilii praesentiam abunde confirmat.

** Si

** Si namque Religio revelata possibilis est (§. 536.), et ad Deum rite colendum, veramque felicitatem homini consequendam, nedum necessaria (§. 532.), sed et utilissima (*not.* 1.), Deique bonitati, ac providentiae conformis: nisi haec exsisteret, Deus contra bonitatem, sapientiamque suam quodammodo egisset, quod est absurdum.

SECTIO IV.

De veritate Religionis Christianae.

541. QVandoquidem revelatae Religionis exsistentia adeo certa est, ut nulli suspicioni obnoxia esse possit (§. 133. *Log.*), quippe sectione praecedenti evidentissime demonstrata (§. 540.): quaenam illa sit, in disquisitionem poni decet: id quod breviter hic pertractandum adgredimur. In quo tamen examine, ut recte procedatur, id principii loco statuendum est, Religionem revelatam esse naturalis supplementum, perfectionem, distinctamque explicationem, ut ex antecedentibus abunde patet; adeoque illi contrariam esse non posse. Quaecumque igitur Religio propositiones vel naturalibus oppositas, & absurdas, vel sibimet mutuo repugnantes continet, pro vera haberi nequit *.

* Et recte: nam si enunciationes doceat naturali Religioni, quae vera est (§. 529.), oppositas, nisi in principium cognoscitivum impingi velit (§. 15.), falsa dicenda est. Si vero propositio-

ſiones inter se pugnantes contineat, erit ens attributis constans se mutuo destruentibus, adeoque impossibilis (§. 45.), et consequenter falsa.

542. Quoniam autem Religio homini ad bene beateque vivendum est necessaria (§. 530.); ad illam enim obligatur (§. 523. *seqq.*), in eaque inſtrui debet (§. 531.), ut ad eius normam actiones suas componens, eamque intactam illibatamque servans aeterna tandem felicitate potiri possit (§. 532.): consequens eſt 1. ut homo ad veram Religionem agnoscendam, amplectendamque ſtrictissimo iure obligetur, ac proinde 2. nullam inveſtigationem praetermittere debeat, donec ad eius cognitionem, consequutionemque perveniat, 3. & si cui ratio dubium moveat super huiusmodi Religionis exsiſtentia, omnis ei movendus erit lapis, nec ulla diligentia, aut sollicitudo omittenda, ut certam eiusdem cognitionem adquirat *, cognitamque in omnigena sua extensione amplectatur **.

* Quaecumque igitur ea de re ignorantia vincibilis est, nec ullam excusationem admittere potest: unde iure meritoque optimo poenis promeritis a iustissimo Deo punienda est. Nam qui investigationem illam negligit, nullam Religionis curam, vel rationem habet: eoque se Dei, Religionis, officiorumque suorum contemtorem aperto commonstrat.

** Si namque Religio illa vera est, unaque via ad bene beateque vivendum, veramque felicita-

tatem consequendam (§. 532.); ea vero omnibus veritatibus verum Dei cultum, hominisque felicitatem promoventibus constituitur: in universa sua extensione accipienda est, et amplectenda. Ex quo patet, excusationem esse nullam iis, qui veram Religionem fatentur quidem, sed aliquas eiusdem enunciationes, vel praecepta respuunt: idem enim esset, ac cognitam eius veritatem inficiari.

543. Quatuor porro sunt Religiones hodie in Orbe praedominantes, nempe PAGANA, IVDAICA, MVHAMEDANA, & CHRISTIANA *. Hae autem omnes, singulae reliquis pugnantia tradunt, ceterasque damnant **; ideoque non possunt omnes simul esse verae; sed necessario una ex his vera, reliquae tamen falsae esse debent.

* Prima inter veteres Populos ferme omnes, qui polithеismum profitebantur (§. 369. *), floruit, et hodienum viget penes Sinas, Iapones, aliosque barbaros; altera inter Hebraeos a Mose promulgata viguit, cuius tamen vix aliqua in Iudaeis umbra remanet; tertia Muhamedem celebratissimum impostorem ex Asia; postrema CHRISTVM IESVM in Iudaea ex Maria natum auctorem habuit.

** Nimirum Iudaica Messiam, sive Christum advenisse negat, quem Christiana fatetur, et colit; Pagana ambabus adversatur, ac divinae essentiae unitatem illa deorum pluralitate destruit; Muhamedana omnes illas respuit, Deoque Magno Muhamedem adiungit, quem Prophetam, Deique Apostolum appellat: unde vulgaris illa Turcarum loquendi, rerumque initium faciendi ratio: *Non est Deus, nisi Deus, & Muhamedes Dei Apostolus*. Vides ergo, illarum singulas ceteris contradi-

dicere; ac proinde non posse omnes simul esse veras.

544. Quum itaque Religio revelata exsistat (§. 540.), eaque una sit (§. 543.); reliquae autem, utpote falsae (§. *eod.*), nullam homini utilitatem, sive ad debitum Deo cultum praestandum, sive ad felicitatis suae consequutionem, praebere possunt: liquido patet 4. quam absurdus, ac rationi oppositus sit INDIFFERENTISMVS *, qui omnes aeque Religiones homini commendat, nec ullam in eo veri, falsique rationem habens, aut discrimen faciens, adversus prima cognitionis humanae principia peccat.

* Indifferentista namque omnes promiscue cultus admittit, quemque autem in sua Religione manere sinit; in eoque atheismum et superstitionem, Religionem naturalem ac revelatam, veram falsamque unum idemque sibi videri ostendit: uno verbo, idem simul verum et falsum, bonum, et malum, esse et non esse, pronuntiat. Qua enunciatione si quid absurdius excogitari possit, dicat qui communi sensui nondum valedixit (§. 15.). Huius opinionis fautores sunt D. Rousseau *Emile Tom.* III. *pag.* 135. *& suiv.*, Auctores librorum *les Lettres Juives lettr.* 48., *les Moeurs Part.* I. *art.* 2., qui tamen nullo alio propugnaculo, quam una ista doctrina refutantur. Et quidem quum postremus hic Naturalista *Turcae parcit, quod sit Musulmanus, non autem Christiano, si talis fiat: id enim ad Dei gloriam non pertinere* (1), Religionum

(1) *Je pardonne à un Turc d'être Musulman; mais je ne pardonne pas à un Chrétien de le deve-*

num tam inter se pugnantium promiscuitatem commendat, ideoque ambas oppositarum veras esse dicit, quod est impossibile (§. 15.). Sed perstringamus magis argumentum, et ab Auctore quaeramus; utrum hae Religiones ambae verae sint, an non? Si primum: eccur Christiano non parcit, si suam deserat, et ad Muhamedanam transeat? Si alterum: eccur Turcae condonat in sua Religione obstinationem, si Christiana; vel Christiano non remittit suae abiurationem, si Muhamedana vera est? Mittimus cetera, ne longius in re tam evidenti progrediamur.

545 At quoniam ex quatuor his Religionibus Pagana *, Iudaica **, et Muhamedana *** doctrinas non modo Religioni naturali contrarias, sed et inter se pugnantes tradunt, ita ut non bene sibi cohaereant; Christiana contra tantum abest ut Religionem naturalem violet, ut eam potius distincte explicet, ac perficiat ****: sequitur 5. ut priores illae tres ex ipsomet earum contextu falsae sint (§. 541.); Christiana tamen, utpote Religionis verae (§. 529.) distincta explicatio, ac perfectio, falsa esse nequeat †, ac proinde vera sit.

* Et quidem religio Pagana naturali opponitur 1. *polytheismo*, qui divinae essentiae unitatem inficiatur (§. 369.), 2. *fato*, quod Dei hominumque libertatem tollit, ipsamque Providentiam destruit (§. 512. *seqq.*), 3. *metempsychosi*, qua ani-

---

venir. Il y a pis que du fanatisme à alarmes les consciences pour des matières, qui on ne juge pas interésser la gloire de Dieu. Les Moeurs *Part.* I. *art.* 24.

animae immortalitas labefactatur (§. 411.); 4. *superstitione* (§. 522.) tum ob idololatriam, tum etiam ob divinationem tot ridicula cogitata continentem. Praeterea maximis contradictionibus scatet, quia dum Deum absolute perfectissimum admittit, multiplicatas illas divinitates abominandis vitiis, et imperfectionibus inquinat: ut pudicitiae violationem Iovi, effusionem Veneri, mercimonium Mercurio, iacturam Vulcano, surreptionem Marti, negligentiam Baccho, raptum Plutoni, licentiam Pani etc. tribuit, ne in aliis innumeris referendis tempus teramus. Quum ergo Religioni naturali, sibique contradicat: ecquis eam falsam esse in dubium vocabit (§. 541.)?

** Iudaei quidem Messiae promissionem iactant, prophetiasque super eo quamplurimas in libris antiqui foederis hinc inde sparsas et credunt, et quotidie discunt: eas tamen adamussim verificatas in Christo videntes, ipsum, in quo consummata sunt omnia, verum Messiam esse, obstinatissime negant. Nimirum in Christi nativitate in Bethlehem *Isai.* VII. 4., & *Mich.* 5.; in Magorum adventu *Psal.* VII. 10.: in puerorum internecione *Ierem.* XXXI. 15.; in Aegypti peregrinatione *Osee* XI. 1.; in Ioannis praedicatione *Is.* XL. 1., 1., in praedicatione Christi, ac prodigiis innumeris ab eo patratis *Isai.* XXXV. 3. XLII. 1. LVI. 3.; in eius captura *Thren.* IV. 20.; in venditione, et proditione Iudae *Zachar.* XI. 2.; in passione *Isai.* LIII. 3. *seqq.*; in ignominiis ei a militibus illatis *Isai.* L. 6.; in crucifixione, omnibusque circumstantiis *Psalm.* XXI. 17. *seqq.*: in lateris transfixione, omisso crurifragio *Exod.* XII. 46. *Num.* IX. 12., in Ierusalem, Templique destructione *Thren.* I. Vides ergo, quam sibi contradictoria sit Religio Iudaica: praeterquam quod status eius praesens nihil, nisi antiquae speciem, plurima vero absurda continet a Talmudistis, ac Rabbinis introducta, quae quum nota cuique sint, brevitatis ergo omittuntur.

 *** In-

*** Innumeras Muhamedanae religionis contradictiones referre longum esset, taediique plenum: ne tamen lectoris exspectationem fraudemus, ex iis paucas, easque patentes, seligemus. Pugnat 1. cum Religione naturali, tum quia indifferentismum fovet (§. 544.) utpote quae cuiuscumque Religionis hominibus aeternae salutis spem tribuit, tum quia adulterium, incestumque legi naturali prohibitiva vetitum soli Muhamedi permissum fuisse contendit; tum etiam quia polygamiam admittit, fatumque fatuum statuit (§. 511. **). Pugnat 2. cum seipsa: nam plurimis praecipue scatet anachronismis, ridiculisque fabellis, qualia sunt: *Templum* CABBA *ab Abrahamo conditum; Deiparam Virginem Mosis sororem fuisse; septem Paradisorum postremum ab Angelis custodiri, quorum quisque 70000. ora, quodlibet os totidem linguas habeat, harum quaevis septuagies millies in 70000. diversis idiomatis Deum laudet; aeternam felicitatem sensualibus voluptatibus constare, a qua feminae excludantur*; et licet Christi divinitatem admittat, ut infra dicemus, Christianos tamen *infideles* vocet, ac Paradisum iis, qui in bellando adversus hos distinguerentur, reservatum esse, contendit. Addit praeterea: *Muhamedem quondam lunam sibi appropinquantem digito divisisse, cuius dimidium quum in vestis manicam decidisset, id in Coelum denuo reposuisse, ne suam rotunditatem amitteret; palmae arborem in eius absentia maximos eiulatus emisisse propter amoris violentiam; eo vero accedente quievisse*; cetera huiusmodi. Vid. Card. Cusani *Cribratio Alkorani*, Gonzalez *Manud. ad conv. Mah.*, *Alkoran. in latin. vers. a Rob. Retenens*.

**** Religionem Christianam non modo naturali admodum conformem, sed et distinctam eius explicationem, ac perfectionem esse, infra in Philosophia practica evidenter demonstratum ibimus, omnesque in ea veritates, ac praecepta inter se mutuo consententia ex ipso Divinorum librorum contextu observare quisque potest; nam

ad

ad perfectam hominis felicitatem promovendam omnia conformi concordia tendunt: ut ita doctrinae uniformitas Christianae Religionis perfectionem; illius vero sanctitas eiusdem veritatem, ac divinitatem arguat. Et licet id unum scopo sufficere posse videatur: nos tamen aliis adhuc argumentis, veluti per lancem saturam, doctrinam hanc stabiliemus, ne adversariis quidquam praesidii amplius supersit.

† Religio namque naturalis vera est, nec falsa esse potest (§. 522.): quae igitur eam distincte explicat, ac perficit, falsa esse nequit; adeoque vera esse debet.

516. Praeterea Religio Christiana in libris Novi Testamenti, fide firmissima dignis, quippe qui genuini sunt *, et integri **, atque ab Auctoribus necessaria rerum narratarum scientia ***, ac probitate praeditis ****, licet in locis valde dissitis, ut nullo modo inter se confabulari potuerint, concordi tamen rerum narratarum consensione conscripti, continetur: adeoque quum historia Evangelica libris illis exposita, etiamsi ut humana historia haberi velit †, certitudinem moralem completam, omnibusque numeris absolutam pariat (§. 137. *Log.*), Religio haec genuina, et revelata censeri debet, ac proinde vera (§. 537.).

* Et quidem eorum genuinitatem nemo umquam inficiatus est: immo non modo omnium saeculorum Christiani, sed et Iudaei, et Pagani, ipsique infensissimi Christianae Religionis hostes, veluti Celsus, Porphyrius, Amelius, Iulianus,

 Li-

Libanius, ac Muhamedes, libros hosce authenticos, ac genuinos esse fatentur. Quid igitur obstare poterit, quo minus eos ab Auctoribus, quorum nomina prae se ferunt, conscriptos fuisse dicamus? Nec obstat, quod quidam aiunt, Christi discipulos rudes fuisse et illitteratos, quippe viles, infimosque piscatores: nam, ut optime advertit Origenes *contra Celsum Lib. I.*, ii, utut infimae plebis homines, maiorum tamen suorum institutione patrias leges callebant, Apostolus vero Paullus legis doctor, et Pharisaeus erat, adeoque litteris bene eruditus, Matthaeus publicanus, Lucas medicus etc. Sed posito, quod scribendi artem ignoraverint, non ideo librorum genuinitas est impugnanda: ut enim liber genuinus dicatur, opus est, ut illum, cuius nomine insignitus est, agnoscat auctorem; nec refert, utrum propria, an aliena manu, velut instrumento sit exaratus; adeoque libri novi Testamenti genuini sunt, quamvis Auctores sui dictantes tantummodo fuerint, et in mechanica scribendi actione aliena opera usi. Praeclare hoc argumentum pertractat S. Augustinus *contra Faust. Lib.* XXXII. *cap.* 6. ubi librorum illorum genuinitatem impugnantes obiurgat: *Infelices*, ait, *inimici animae vestrae, quae umquam litterae ullum habebunt pondus auctoritatis, si Evangelicae non habebunt? De quo libro certum erit cuius sit, si litterae, quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint incertum est? Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiusmodi Auctorum libros unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adiuvandi studio, sive discendi. Vnde constat quid cuius sit, nisi quia iis temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit, atque edidit, et inde in alios continuata notitia, latiusque firmata, ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quis-*

quisque liber sit, non haesitemus quid respondere debeamus? Legi meretur integrum S. Doctoris opusculum, in quo omnia libertinorum sophismata fuso calamo refutata inveniuntur.

** Librorum illorum integritatem nec ullus in dubium vocavit, nec ullum adhuc repertum fuit argumentum, a quo vel saltem debilitari potuerit. Obiicit tamen Collins: *huiusmodi libros fuisse corruptos ex eo, quod variantes lectiones observentur, multosque textus aliter SS. Patres laudaverint ac in vulgatis leguntur. Recherch. phil. sur la liberté de penser*. At haec obiectio nullum omnino robur habet: nam quod ad variantes lectiones attinet, eae a diversis Bibliorum versionibus, non ab aliqua eorum alteratione procedit; idque vel ex eo patet, quod variantes lectiones nec substantiam, nec integras sententias, sed vocabula sola respiciunt: quod autem ad SS. Patrum citationes spectat, ii non ad litteram recitantes, sed quoad substantiam tantum sententias memorantes, ad solum sensum, non verba, attenderunt. Vid. Genuensis nostri *Elem. Met. Part.* III. *prop.* 31. *Schol.* De cetero, quonam modo corruptio isthaec fieri potuerit, non videmus: libri namque novi foederis apud Christianos summa diligentia asservati sunt, eorumque exemplaria ad omnes Ecclesias Apostolorum tempore missa. Si ergo viventibus his corrupti essent, ab Auctoribus suis querelae auditae fuissent: si his vita functis, omnes Ecclesiae huic corruptioni fasces securesque misissent: si ab Haereticis, Catholici conclamassent; si vero ab his, illi eos redarguissent: quorum tamen omnium nihil umquam auditum est. Vnde igitur haec iactata corruptio?

*** Quid enim Auctores illi scribunt, nisi quae viderunt, audiverunt, cuiusque testes oculati fuerunt? Christi Magistri sui, cuius vestigia quotidie sequuti sunt, vitam, res gestas, praedicationem, passionem, mortem, resurrectionem, in Coelum ascensionem, omnesque *apparitiones* non so-

solum a se conspectas, sed et publico omnium conspectui expositas. Quae omnia quum in factis, quae solos sensus exigebant, consistant, etiamsi rudissimi habendi sint, eorum testimonium, plenissima quipp factorum illorum scientia fultum, omnem hominis cuiuscumque fidem absque ulla suspicione meretur.

**** De Auctorum illorum probitate non est, quod dubitari possit. Sanctissima eorum, illibataque vita, mores incorrupti, virtutes quibus excellebant, ab ipsis etiam Religionis hostibus praedicantur. Horum aliqui cordis simplicitatem, quidam vitae innocentiam, nonnulli morum integritatem, rerumque omnium spretum eodem tempore, quo risui exponunt, laudibus extollunt, et confirmant: mentiri ergo non poterunt. Sed aliud adhuc superest argumentum. Quidquid isti narrant, coram Iudaeis, et Paganis publice praedicaverunt, pro narrationis suae veritate cum Pharisaeis, Sadducaeis, ac Romanis acriter contendentes dimicarunt, multasque persecutiones, verbera, ignominias, carceres, mortem denique ipsam pertulerunt. Sed forsan aliquid emolumenti ex illa praedicatione, aut narratione ceperunt? Crucis nomen apud Iudaeos ludibrio, apud Romanos abominationi erat. Cic. *pro C. Rabir. cap.* 5. Hi ergo Christum cruci affixum *Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam* coram Iudaeis eius occisoribus, et Paganis, quorum Religio tunc temporis ubique praedominabatur, novam Religionem non tolerantibus, immo destruere conantibus, non arte, sed palam, et candide praedicabant, cuius doctrina et vita eorum abominanda vitia improbabat, virtutes oppositas extollebat, idola destruebat, obstinationem objurgabat: Populi favorem undique declinabant, plausus et honores respuebant, divitias negligebant; tantumque abest, ut quidquam boni ex illa narratione aucupati sint, ut potius suos, suorumque errores, praeteritamque vitam sincero stilo referant: id quod ex librorum ipsorum lectione adparet, ut ita locos singulos re-

fer-

ferre non teneamur. Quae omnia certitudinem moralem completam, quanta maxima in factis rebusque gestis haberi potest, producunt (§. 137. *Log.*). Huc accedit, quod eorum narrationis, ipsiusque Religionis veritas ab iisdem Christianismi hostibus confirmatur, ut infra dicemus. Evidentissimo prae ceteris sit argumento Tacitus Christianorum persecutor infensissimus, qui Evangelicae historiae summam contestatur his verbis: *Auctor nominis* (Christiani) *Christus. Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Annal. Lib. XV. cap.* 44. Quid igitur superest, nisi ut dicamus, historiam Evangelicam, etiamsi ut pura humana historia sumi velit, firmissimam mereri fidem, omniaque facta in libris Novi Testamenti contenta ab ipsis logices, criticesque tironibus in dubium vocari non posse? Iure igitur S. Irenaeus *tantam esse*, ait, *circa Evangelia firmitatem, ut & ipsi Haeretici testimonium reddant eis, & ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Lib. III. contra Haeres. cap. 2. num. 7.*

† Hac expressione ideo usi sumus, ut omnem adversariis viam occludamus. De cetero libros Novi Testamenti non modo genuinos esse, integros, omnemque certitudinem producentes, sed et divinos, atque sanctos, adeo validis argumentis convincimur, ut Deistarum, Naturalistarumque coriphaeus D. Rousseau eorum divinitatem, sanctitatem, ac veracitatem summam ore sincero fateri non dubitaverit (1); quapropter ab huius veritatis demonstratione merito supersedemus.

(1) *Je vous avoue aussi que la majesté des Ecritures m'étonne, la sainteté de l'évangile parle à mon cœur. Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut il qu'un livre, à la fois si sublime et si simple, soit l'ouvrage des hommes? . . . . . . Dirons-nous que l'histoire de l'évangile est inventée*

547. Deinde Christiana Religio Deum ipsum habet auctorem: nam a Iesu Christo instituta, ac revelata fuit, qui Deus *, Deique filius ** erat, a Deo missus, ut homines in omnibus Religionis verae doctrinis, veritatibus, ac officiis institueret, quique hominem ideo assumsit, sibique adiunxit, ut ab hominibus videri, & audiri; utque illos non tam voce, quam exemplis, & actionibus instruere posset. Revelata ergo censeri debet, ac proinde vera (§. 537.).

* Iesum Christum Deum esse, in transfiguratione super montem Tabor apparuit, *Matth.* XVII. *Marc.* IX. *Luc.* IX. 28., tenebrae densissimae, terrae motus, aliaque adiuncta, ac phaenomena eius mortem comitantia, magnaque vox in emittendo spiritu missa adeo evidenter testata sunt, ut iidem Iudaei occisores, et Pagani eius divinitatem ore sincero fassi sint; item post triduum resurrectio propria virtute, *Matth.* XXVIII. 6. *Marc.* XVI. 6. *Luc.* XXIV. 6. *Ioann.* XX.; ac post quadraginta dies in Coelum ascensio *Marc.* XVI. 9. *Luc.* XXIV. 51.; potestas super spiritus reprobos *Luc.* IX. 40. XI.

ne à plaisir? Mon ami, ce n' est pas ainsi qu' on invente, & les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond, c' est reculer la difficulté sans la détruire: il seroit plus inconcevable que plusieurs hommes d' accord eussent fabriqué ce livre, qu' il ne l' est qu' un seul en ait forni le sujet. Jamais des auteurs Juifs n' eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale, & l' évangile a des caractéres de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l' inventeur en seroit plus étonnant que le héros. Rousseau *Emile Tom.* III. *pag.* 147. *ed. Genev. du* 1782.

XI. 14., ac elementa *Marc.* VI. 49. *Ioann.* XI. 19. tanta sapientia ante pubertatem in eo conspecta, ut Iudaeorum sapientiores in Templo disputando convicerit, ac confuderit *Luc.* II. 46., apertissimum fuerunt indicium. Porro tam innumera primae classis (§. 211.) miracula a Iesu Christo patrata uno vocis imperio, saepe etiam solo vestis contractu *Matth.* IX. 20. *Marc.* V. 27. *Luc.* VIII. 44., cum Thaumaturgum esse (§. 212.), ideoque Deum (§. 213.), ostendunt; veluti mortuorum, etiam quatriduanorum, resuscitatio *Matth.* IX. 25. *Marc.* V. 41. *Luc.* VII. 15. VIII, *circ. fin. Ioan.* XI. XX. 30., coecorum natorum illuminatio *Matth.* IX. 27. *Marc.* X. 46. *Luc.* XVIII. 39. *Ioan.* IX., leprosorum *Matth.* VIII. 2. *Marc.* I. 42. *Luc.* V. 12. XVII. 12., mutorum *Matth.* IX. 33. *Marc.* VII. 35., manus aridae *Matth.* XII. 13. *Marc.* III. instantanea curatio, plurium millium hominum fame laborantium quinque panibus, ac totidem piscibus saturatio, talisque ciborum illorum multiplicatio, ut plures reliquiarum cophini superfuerint *Matth.* XIV. 15. XV. 34. *Marc.* VI. 43. VIII. *Luc.* IX. 12. *Ioan.* VI., item aquae in vinum conversio *Ioan.* II. Haec autem vera miracula fuisse vel ex eo patet, quod nullis praesidiis, nullis medicaminibus, nulla rei cuinslibet applicatione, sed solo, ac simplici nutu facta sunt: propria vero virtute patrata fuisse, inde aperto cognoscitur, quod nec malorum, nec bonorum spirituum opera fieri poterant: non malorum, quia miracula illa eorum imperium destruebant, populosque ab idololatria, superstitione, ceterisque erroribus avocabant, adeoque non poterat Satanas Satanam evertere, alias enim idem simul fuisset, et non fuisset (§. 15.): non bonorum, quia nihil horum creati spiritus facere quibant (§. 217. *Schol.*), nec umquam ratio probavit, quempiam alium dici posse Thaumaturgum, praeter solum Deum. Restat itaque, ut fateamur, miracula illa a Deo patrata fuisse. At illa, ut Dei vox (§. 214.), in veritatis virtutisque testimonium fiunt (§. 211.): in veritatis ergo a Christo praedicatae, virtutisque suae contestationem

facta sunt. Sed Christus se Deum esse pluries adfirmavit, *Matth.* X. 32. XI. 25. *Luc.* X. 21. *Joan.* V. 18. VI. 38. XVII. *per tot.* vera igitur de se dixit; ac proinde Christus Deus est. Idque adeo verum est ut ab ipsis Christianae Religionis impugnatoribus in dubium vocari nequeat, idemque Deista D. Rousseau, omnibus Christi actionibus, verbis, ac circumstantiis eius mortem comitantibus rite perpensis, ipsum DEVM appellare non dubitaverit (1).

** Idque testati sunt Deus ipse, tam in sacro Christi lavacro *Matth.* III. 17. *Marc.* I. 11. *Luc.* III. 22., quam in eius transfiguratione, ut patet ex locis supra citatis; cacodaemones ipsi a Chri-

(1) *Est-ce-à le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs! quelle grace touchant dans ses instructions! quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit, quelle finesse & quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir & mourir sans foiblesse & sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire couvert de tout l'opprobre du crime & digne de tous le prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus Christ.... Quels préjugés, quel aveuglement ne faut il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre.... La mort de Socrate, philosophant tranquillement avec ses amis, est la plus douce qu'on puisse desirer; celle de Jésus expirant dans les tourments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate prenant la coupe empoisonné, bênit celui qui la lui présente & qui pleure; Jèsus au milieu d'un supplice affreux prie pour ses bourreaux acharnés. Oui; se la vie & la mort de Socrate sont d'un sage, la vie & la mort de Jèsus sont d'un DIEU.* Rousseau *Emil. Tom. III. pag.* 147.

Christo eiecti *Matth.* VIII. 29. *Marc.* I. 24. III. 12. V. 7. *Luc.* IV. 34. 41. VIII. 28., et idem Christus multis in locis, qui Deum Patris nomine compellat; item ipsimet Christianae Religionis hostes, ut infra dicemus. Nec obstat, quod huiusmodi filiatio, hominisque assumtio ab homine intelligi nequeant: nam quum sint Dei, nempe entis infiniti (§. 467.) proprietates, et actiones, eae ab ente finito intelligi nequeunt (§. 131.), ita ut inter mysteria (§. 534.), et res obscuras referri debeant. Quum autem sapientissimus, ac veracissimus Deus (§§. 473. 482.) Christum *filium suum dilectum* appellaverit: id ita se habere, absque ulla dubitatione, aut suspicione credendum est: praecipue quum universa Iesu Christi vita nihil, nisi perfectum, ac universale omnium virtutum in gradu heroico, et absque minimo defectu, complexum ostendat; ut ita in eo Deum perfectissimum humana carne vestitum observare liceat.

548. Quoniam vero miracula sunt Dei voces (§. 214.) veritati, ac virtuti testimonium facientes (§. 211.): Religio Christiana tot Christi fundata miraculis *, totque prodigiis a Deo quotidie in Sanctorum suorum gratiam confirmata ** vera est, atque sola a Deo requisita, ac revelata.

* Christi quidem miracula vera sunt, quippe in libris Novi Testamenti fide omnigena dignis (§. 545.) exposita, ac relata; ea vero in missionis suae signum facta esse, ex iisdem Christi verbis aperto cognoscitur *Matth.* XI. 4. 5. *Ioan.* X. 25. 38.: ut ita denuo D. Rousseau impostura alibi relata (§. 214.) patescat, qui *Christi testimonio*, ait, *satis probatum esse nulla miracula in propriae missionis signum ab eo patrata fuisse*. *Lettr. écrit. de la Montagn. Lettr.* III. *pag.* 86.

** Res est meridiana luce clarior, pro qua

ad quotidianam experientiam provocamus. Quotus enim quisque est, qui nesciat, quot quotidie in Sanctorum suorum gratiam, fideique confirmationem miracula a Deo patrentur? Videmus illorum sanguinem statis temporibus in maxima hominum frequentia, nulla menstrui ullius applicatione, nullis adiunctis, quandoque liquefieri, alias turgescere, nonnumquam spuma obduci, saepe etiam volumine augeri: ut ita positis iisdem circumstantiis, eademque caussa, diversi habeantur effectus, quo perpensis omnibus minute adiunctis, effectus naturalis dici omnino nequeat. Quae res quum sint cuique obviae, in iis diutius immorari, putamus valde superfluum.

549. Porro tam celerrima Christianae Religionis propagatio inter Iudaeorum, Paganorumque pro eis annihilatione conatus, specialem Dei O. M. providentiam, ac in ea promovendo protectionem, adeoque & eius veritatem arguit *. Praetermittimus tot paene innumerabilium Martyrum sanguinem inter tormenta, & cruciatus maxima hilaritate, frequentibus canticis, animique tranquillitate effusum, quo sancta Iesu Christi Religio veluti tot indelebilibus signaculis fuit confirmata **, ne in re tam evidenti longius argumenta protrahamus.

* Et quidem rapidissimam illam propagationem miraculo evenisse exinde patet, quod inter tot contradictiones, persecutiones. Principum edicta, magistratuum minas, carnificum verbera, nulla humana ope, immo vero invalescentibus universalibus pro ea evertenda conatibus, non modo repressa non est, sed in dies magis aucta: idque vel invitus fatetur eius infensissimus hostis

Ta-

Tacitus *Annal. XV. cap.* 44. : *Repressaque*, ait, *in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam originem eius mali, sed per Vrbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque*. Idem confirmat Seneca apud Augustinum *De Civ. Dei Lib. VI. cap.* 11. : *Sceleratissimae gentis consuetudo usque eò invaluit, ut per omnes iam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt*. Hinc Plinius id admiratus ad Traianum scripsit : *Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum: multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, & vocabantur. Neque enim civitates, sed & vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est*. *Lib. X. ep.* 97. Vt inde aperto agnoscatur calumnia Petri Bayle aeque, ac D. Freret *dans l' Examen critique des Apologistes de la Religion Chretienne chap.* 6., dum ad Constantini usque tempora paucos, eosque vilissimos, Christi Religionem sequutos fuisse, contendunt.

** Hoc argumentum, si ingenui esse velimus, Religionis veritatem invicte demonstrat. Multa enim hominum millia maxima tranquillitate, ac laetitia incredibiles cruciatus, crudelissimamque mortem, nisi supremo ac peculiari Dei auxilio, tolerare non potuissent. Non est igitur, quod heroem suum Lucilium Vanini quoque iactent increduli, quem propterea *Atheismi martyrem* appellare gloriantur : nam solus hic, et sine socio cum innumeris Christianae Religionis Martyribus nullo modo est comparandus, sive in vitae innocentia, sive in tranquillitate, sive in summa inter cruciatus hilaritate, ac constantia; quippe qui desperatione actus, furens potius, et fanatismo abreptus, quum poenam sibi pro nefandis criminibus, non pro atheismo, irrogatam omnigenis conatibus declinare non potuisset, mortem oppetiit. Nec est, quod nostros Martyres enthusiastas, et fanaticos appellent : ENTHVSIAS-

MVS

MVS enim est *amentia*, *qua quis se inspiratum nullis argumentis*, *sola phantastica persuasione credit*; FANATISMVS vero est *delirium*, *quo quis persuasione illa in furorem vertitur*, *ita ut in contradicentes irruat*. Horum autem nihil in Christi Martyribus observatur: non enthusiasmus, quia nullam inspirationem abque fundamento iactabant, sed Religionem, quam veram tot argumentis agnoscebant, publice fatebantur, ac ne contra propriam conscientiam agerent, mori potius, quam illam deserere, volebant: non fanatismus, quia tantum abest, ut in furorem, ac irruentiam acti sint, ut potius tamquam oves agnique mansueti, ad verbera, cruciatus, et occisionem ducti sint, carnificibus autem, persecutoribusque suis bona pro malis ubique reddiderint. Immo vero enthusiasmo, ac fanatismo abreptos esse videmus Paganos, Iudaeos, ac Muhamedanos, qui suis erroribus contradicentes morte plectebant, et in Martyres illos flagellis, cruciatibus, igne, ferroque irruebant. Falsa quoque ex hoc agnoscitur assertio D. Freret *loc. cit.*, qui Christianae Religionis propagationem Christianorum Principum edictis, ac violentiis deberi dictitat (1): nam si Ecclesiasticam historiam paullo adcuratius legamus, videbimus, primis illis Ecclesiae saeculis innumerabilem fuisse Martyrum numerum; qui Paganorum Principum persecutionibus vitam amiserunt. Ex quo patet, Religionem Christianam tunc temporis mire fuisse propagatam.

550. Denique adeo vera est Religio Christiana, ut eam ipsimet hostes, nempe Pagani *, Iudaei **, Muhamedanique Alkorani *** contextus aperto fateantur. Et li-

(1) *Le Christianisme doit son principal accroissement à la violence des Empereurs Chretiens.* M. Freret *Exam. critiqu. des Apol. de la Relig. Chret. chap. 7. pag.* 114.

liceat hodie pleraque authentica super hoc documenta desiderentur; negari tamen nequit, ea ut adhuc exsistentia haberi debere, quum ab antiquis Christianorum Apologistis ad paganos Principes, Magistratus, Populosque citata, nullam umquam contradictionem, aut dubium saltem invenerunt ****.

**** Ex Paganis quidem Phlegon Hadriani libertus tenebras, ac terrae motum *Olymp. CCII. an. 4.*, qui est 18. Tiberii, hora sexta diei accidisse scripsit. Idem eventus in chronico Iulii Africani, in Romanis annalibus, ac monumentis Sinarum astronomicis invenitur, ut patet ex Sinarum historia Hadriani Grelon, et ex *Tab. Chron. Monarch. Sinic.* P. Couplet. Paganorum oracula post Christi adventum siluisse, quaeruntur Lucanus *Pharsal. Lib.* V., Statius *Theb. Lib.* VIII., Iuvenalis *Sat. 6.*, Strabo *Rer. geogr. Lib.* VIII., et Plutarchus. Christi divinitatem aperto fatetur Claudianus *Epigr.* 75. 78. eiusdem etiam nativitatem Chalcidius *Comm. in Tim. pag.* 219. *edit. Meursii Lugd. Batav.* Infantum Hebraeorum occisionem narrat Macrobius *Saturn. Lib.* II. *cap.* 4. Ierusalem, eiusque Templi excidium a Christo praedictum refert Tacitus *Hist. Lib.* V., idque divina opera accidisse subdit: *Evenerant*, ait, *prodigia, quae neque hostiis, neque votis piare fas habet gens* (Hebraea *superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma. Expansae repente delubri fores . . . . subito nubium igne collucere Templum.* Idem confirmat Phlegon *Olymp. Lib.* XIII. Quumque Templum illud reaedificare vellet Iulianus Imperator *Ep.* 25., negotiumque Alypio dedisset, flammarum globis, turbinibus, terraeque motibus prope fundamenta eruptis, materia dispersa, incoeptum autem evanuit. Ammian. Marcellin. *Lib.* XVIII. Apollinem augustissimum

Tri-

Trinitatis mysterium fatentem inducit Porphyrius. Euseb. *Praep. Evang. Lib.* V. Christi passionem ex actis originalibus Pontii Pilati patuisse, quibus visis, Tiberium, eius divinitate cognita, Templum ei construere volentem a Senatu vetitum, Imperatori memorat Tertullianus, et Iustinus Martyr. Idem facere voluisse Hadrianum, et postea Alexandrum Severum, qui liberum Religionis exercitium Christianis dedit, eosque imitandos Romanis proposuit, et Christi imaginem in lario suo positam coluit, refert Lampridius *in Vit. Alex. Sever.* Christianorum sanctitatem, immaculatamque vitam Traiano describit Plinius *Lib.* X. *ep.* 42. & 43. Idem cum miraculis a Deo Christianorum precibus patratis, narrat Libanius Sophista *Tom.* II. *pag.* 185. 290. 309., et Lucianus Samosatensis; immo hic *in Dial. Philopatr.* de augustissimo Trinitatis mysterio, de mundi creatione, de revelationibus a Gentium Apostolo in coelum rapto acceptis, de extremo iudicio apertissime loquitur. Antoninum Pium, Religionis veritate, ac sanctitate cognita, pacem Christianis epistola ad Senatum scripta dedisse, refert Eusebius *Hist. Lib.* IX. *cap.* 2. Romanos, Marco Aurelio imperante, victoriam super Quados, et Marcomannos Christianorum militum precibus obtinuisse duobus simul prodigiis aquae altero, quo sitiens exercitus Romanus sitim expulit, altero flammea pluvia et grandine, quo victores dudum hostes victi, fusique fuerunt, unde legionem illam *fulminantem* cognominavit Imperator, testantur epistola Marci Aurelii ad Senatum scripta, Tertullian. *Apolog. cap.* 5., columna Antonina ad futuram rei memoriam erecta, Theophil. Spizel. *Epist. ad Anton. Reiser.*, Dio Cassius *Hist. Rom. Lib.* LXXI., Capitolinus, et Lampridius *in vita M. Aurel.*, Claudianus *de sext. cons. Honor.*, Themistius *Orat.* 151. Vides ergo, Christianae Religionis veritatem sincero ab ipsis quoque Paganis ore fuisse admissam.

** Inter eos eminet Ioseph Flavius gravis

His-

Historicus, et cui rerum in Iudaica gente gestarum monumenta debentur. Hic itaque, quamquam acerrimus Christianae Religionis hostis, haec de Christo habet: *Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens*, SI TAMEN VIRVM EVM OPORTET DICERE. *Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque, tam de Iudaeis, quam de Gentibus, sui habuit sectatores, & hic erat Christus* (ὁ χριστὸς οὗτος ἦν). *Cumque invidia nostrorum principum cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perseveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens, multa & haec, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit. Antiquit. Iudaic. Lib.* XVIII. *cap.* 4. Et licet Hebraei textum hoc in loco mutilaverint: adsunt tamen adhuc codices vel integri, vel rasura inducta vitiati, quae tamen attente observantibus litteras non omnino deletas exhibent, quibus cum aliis etiamnum integris adamussim congruunt. Ioseph itaque Christi divinitatem ex miraculis, et resurrectione colligit: ex ipsa igitur Hebraei confessione Religio ab eo instituta revelata, ac divina censeri debet, ideoque vera.

*** *Alkoran*, Arabum lingua *volumen excellens*, est codex, quo famosi impostoris Muhamedis integra legislatio continetur, tam ad Religionem, quam ad Rempublicam spectans. Constat 124. *azoar*, sive capitibus, in quibus evidentissimum Christianae Religionis argumentum habetur. Nam principii loco statuit: *Iesum Christum esse Messiam promissum, ac Dei verbum, animam, spiritum, vim, & virtutem, cuius sapientiam, virtutem, sanctitatem, Spiritum Sanctum, qui visibili forma ei ubique adstitit, testificatum esse: omni divina potentia praeditum fuisse, excellentioremque profecto omnibus Prophetis, maiorem Abrahamo, Ismaele, Mose, ac Muhamede: fuisse doctorem, magistrumque de coelo missum ad edocendos*

dos filios Israel: & licet adeo magnus, ac potens fuerit, nihil vile credidisse cum infimis populi, ipsisque infantibus conversari: natum fuisse miraculo ex Maria Virgine sanctissima, purissima, & perfectissima omnium entium creatorum, ope afflatus divini absque Patre, eamque nativitatem ab Angelo nuntiatam fuisse: Apostolos Evangelium olim vulgantes, Martyresque sanguinem pro Christo effundentes sanctos fuisse, & venerandos aeque, ac Ioannem Baptistam eiusdem praecursorem, & Prophetam miraculo natum, semper virginem, & ab infantia ratiocinantem: Evangelium esse verum, ac divinum, cuius publicationem Iesu Christo fuisse commissam, in quo credentes salvi; non credentes autem aeterno igni damnandi sint. Vid. *Alkoran. Muham. azoar.* 2. 4. 5. 12. 29. 53. 67. 71. Praecipue vero *az.* 5. Angelos inducit Deiparae Virgini dicentes: *Filium ex ea mox miraculo nasciturum mortuis vitam, caecis lumen, mutis loquelam, leprosis sanitatem daturum, avesque creatura, quae per aera volitare videbuntur.* Nunc ex ipsa Alkorani confessione, qualiscumque ea sit, colligimus, Christum Mariae filium esse Deum, quia potentia creatrice praeditum admittit (§ 437.), ac veracissimum (§. 482.). Quum autem hunc Religio Christiana agnoscat auctorem (§. 543.*): vera prorsus dicenda est, a Deo quippe revelata.

**** Huiusmodi sunt annalium Romanorum monumenta, acta Pilati, Tiberii decretum, quo Templum Christo sanxerat, Senatusque vetitum, ne Christiana Religio cresceret; epistola M. Aurelii ad Senatum, quo legionis fulminantis prodigium enarratur, aliaque similia. Verum quidem est, condita fuisse posterioribus saeculis quaedam acta Pilati, ac epistola M. Aurelii: sed ea esse apochrypha ex adfectato eorum contextu patet. Exstabant tamen vera tempore Tertulliani ac Iustini Martyris, unde illa Romanis exprobrabant, a quibus, ni ita fuisset, contradictiones, improperia, convicia recepissent, ut ita mendacii convin-

vincerentur: id quod argumento est, ea tunc vere fuisse existentia, nec hodie in dubium vocari posse.

551. Quum ergo Religio Christiana, reliquis exclusis, una vera sit (§. 544. *seqq.*), eaque Christum habeat auctorem, Apostolos autem propagatores, praedicatores, & asservatores ab eo edoctos, *Matth. ult.*, & a Spiritu Sancto illustratos, *Joan. XVI.* 13., ex tot peculiaribus, quae hoc nomine insigniri volunt, ea vera ac legitima putanda est, quae integram doctrinam a Christo traditam & revelatam, verumque eiusdem sensum tenet, quaeque ab Apostolis per legitimam successorum seriem ad nostra usque tempora absque interruptione demandata fuit. Quod quum in Religione Catholica observetur *: liquet Religionem Catholicam proprio, ac peculiari nomine Christianam appellari debere; adeoque illam solam esse veram Iesu Christi Religionem, extra quam nulla salus, aut salutis spes homini superesse potest.

* Idque evidenter verum esse, vel ex eo patet, quod in omnibus Haereticorum Ecclesiis in aliqua doctrinae a Christo revelatae parte deficitur, nec verus doctrinae illius sensus tenetur: in Catholica vero universa Christi doctrina in vero suo, ac genuino sensu asservatur. Verbum enim Divinum Apostolica traditione interpretatur, et explicat, quae via quam tutissima est ad pernoscendum, quemnam sensum verbis illis Christus affixerit. Et sane quisnam revelationis interpretan-

tandae modus melior esse potest, quam eos, qui ab ipsomet Auctore Christo eam interpretationem didicerunt, hoc est Apostolos, consulere? Hi vero per traditionem haud interruptam, quae ab iis legitime processit, loquuntur; verbumque divinum interpretantur, ut peracute ratiocinatur S. Irenaeus: *Traditionem*, ait, *Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos . . . Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Eccelesiarum enumerare successiones; maximae, & antiquissimae, & omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romae fundatae, & constitutae Ecclesiae eam, quam habet, ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per caecitatem, et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio. Lib. III. contr. Haeres. cap. 3. num. 1. & 2.* Et quidem *si constat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; id ab initio, quod & ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*, bene ait Tertullianus *Lib. IV. contra Marcion. num.* 2. Hinc ergo clare deducere licet, veram, ac integram Iesu Christi doctrinam in vero, ac genuino sensu ab Ecclesia Catholica retineri, et consequenter in ea tantum exsistere, veram genuinamque Religionem a Christo traditam, ac revelatam. Inde quoque patet, quam pessime rationes suas confecerit Albertus Radicat, qui Religionem Christianam non amplius existere, et esse destructam adserit in opusculo *Discours moraux, historiques, & poli-*

litiques Disc. IV., quod inseruit in libro *Récueil des pièces curieuses sur les matières les plus interessantes*: id enim eodem opusculi contextu refutatur; nam alibi principalia, ut ipse ait, Christianae Religionis capita recenset, et quamplurimis librorum Novi Testamenti locis illustrat, in quibus Religionem illam contineri fatetur. *Ibidem Discours* II. Huc accedit, quod si aliarum omnium Ecclesiarum chronica evolvamus, videbimus, in iis legitimam huiusmodi seriem desiderari, quippe quae ab aliquo Catholicae Religionis desertore, qui eam interrupit, initium habuerunt: in sola vero Catholica seriem illam sartam tectam servatam fuisse. Si namque a PIO VII. Ecclesiae huius feliciter clavum tenente, ac Episcopis in ea exsistentibus, ordine retrogrado initium numerandi faciamus, ad Petrum Apostolorum principem, ceterosque Apostolos recta, et absque ulla intermissione ascendemus. Qua de re Catholicam iure appellatunt Nicaenae Synodi Patres. Quae quum ita sint, supremum omnium dominum, et pastorem Deum precibus fatigare necesse est, ut dispersas undique oves in rectam Religionis suae viam, Ecclesiamque reducat, congregatas autem in concordia, et unitate conservet: ut ita, facto uno ovili, unoque Pastore, supremum quisque felicitatis apicem attingat, pro cuius consequutione omnes curas, omnes labores, cunctamque industriam naturae ipsius impetu ductus collocare studet.

Τω βασιλει των αιωνων αφθαρτω,
αορατω, μονω σοφω Θεω τιμη
και δοξα εις τυς αιωνας των
αιωνων. Αμην.

FINIS.

INDEX.

PARS

PARS II. COSMOLOGIA.

PARS III. PSYCHOLOGIA.